

B. N. C.  
FIRENZE

---

53.14



53-14

# SYMBOLAE CRITICAE

AD

A<sup>1</sup>

## HISTORIAM SCRIPTORUM REI METRICAE LATINORUM.

SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO  
PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA UIADRINA URATISLAUIENSI  
ORDINE RITE IMPETRANDOS

UNA CUM SUBIECTIS SENTENTIIS CONTROUERSIS

DIE XXX. MENSIS JULII A. CIOICCCCLVIII

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET



HERMANUS WENTZEL,  
GLOGAUIENSIS.



ADUERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

BACH, PHILOSOPHIAE DOCTOR.

OBERDICK, SEMIN. PHILOL. SOD.

UOLKMANN, SEMIN. PHILOL. SOD.

---

URATISLAUIAE

FORMIS GRASSII BARTHII ET SOC. (W. FRIEDRICH)

CIOICCCCLVIII.



PATRI · OPTIMO

FILIUS · PIENTISSIMUS



Quid mihi fuerit consilii in libello scribendo, ne perperam intellegar, pauca praefanda sunt. Cum enim ante hos V annos FRED. HAASE uir clarissimus codicem mihi uetustissimum Bambergensem (H. I. III. 15) offerret, cuius ope Mallii Theodori uerba, quae nondum in publicum usum collata in eo continentur, refingerem, factum est ut in metricos latinos inquirerem, a quibus mox animaduerti tutius mihi meoque incepto auxilium expectandum esse, quam a codice ipso iisdem uitiis obsesso, quibus reliqui iam noti libri iisque ideo neutiquam praefendo. praeterea cum nuncius ad me allatus esset Henrico Keilio, qui multarum urbium bibliothecas adiit, nouam grammaticorum latinorum editionem parandi curam delatam esse, Mallium libenter abieci totumque metricorum latinorum studio me dare constitui. neque erat quod ad hos me deiectum esse dolerem. nam non diu apud eos uersatus quae uiri doctissimi de iis et praecipue de aetate eorum antea protulerant, ita se habere plerumque deprehendi, ut correctionem ualde requirerent. hanc quominus afferrem ea qua par esset absolute per-

fectioneque me et spatium impediuit libellis huiusmodi concessum et ualitudo mea studiis aliquamdiu infestissima. sed quantumeunque in iis, quae scripsi, desiderabitur, nulli fore spero ut pro uirili parte ueritati non inseruisse uidear, quam me scientem nusquam uiolasse uix opus est affirmare.

---

10

Non ero stulte repugnans aut amans praec mea,  
Quin statim culpanda delens praebeam rectis locum.

Terentianus Maurus. u. 325.

## I.

Priusquam ad propositum nostrum aggredimur, ut quo temporum ordine uixerint metrici scriptores latini exploremus, quaedam de re metrica apud Romanos exorta nobis uidentur esse praemittenda, quae pleraque quamquam nos non fugit e litterarum historia romanarum satis esse cognita, tamen disputatio nostra capite ne careat, paucis exponenda censemus.

Romanos cum in omnibus fere artibus tum in re metrica uias a Graecis sibi designatas tenuisse inter omnes constat. Saturnio enim uersu excepto, cuius origo (quamquam latini grammatici id negant)<sup>1)</sup> a Romanis est trahenda, qui primis temporibus quicquid animos eorum mouebat, ut in numerum quandam redigerent, eo sunt usi<sup>2)</sup>, quaecumque metra aut in fabulis componendis aut in carminibus pangendis adhibebant a Graecis transtulerunt eorumque nonnullis ueluti hexametro frequenti usu ciuitatem dede-

---

<sup>1)</sup> Atil. Fort. 8. § 1 p. 323 Gaisf. 2679 Putsch. „de saturnio uersu dicendum est, quem nostri existimauerunt proprium esse Italiae regionis, sed falluntur. a graecis enim uariis et multis modis tractatus est“ e. q. s. cf. Terent. Maur. u. 2497 Mar. Uict. III. 18. § 1 p. 190 G. 2587 P. Plot. Sacerd. 5. § 13 p. 281 G. 2650 P.

<sup>2)</sup> cf. Festus s. u. *Saturno* p. 133 ed. Rom. „uersus quoque antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus uidetur, Saturnii appellantur, quibus et a Naeuio bellum Punicum scriptum est et a multis aliis plura composita sunt.“ Uarro de ling. lat. VII. 36. „Fauni dei Latinorum ita ut Faunus et Fanna sit. hos uersibus quos uocant Saturnios in siluestribus locis traditum est solitos dari futura.“ Placidi glossae p. 462. (Mall Coll. Uat. tom III.) Bernhardt hist. rom. litt. ed. alt. p. 166.

runt. id quod prius factum esse non potest quam gentibus uicinis deuictis Romanus bellum iam in remotiores Italiae partes transmisit et Tarento reliquisque Graeciae Magnae urbibus expugnatis cognitionem graecae eruditionis, quae ea in regione certam sedem reppererat, cepit. itaque non multum post quam tota Italia ditio- nis romanae facta est, non defuere qui utramque linguam pariter callentes, (unde ‚semigraeci‘ sunt dicti)<sup>1)</sup>, Romanos ad speciem quan- dam doctrinae atque elegantiae prouherent. *Liuius* enim *Andro- nicus*, qui priuus fabulas scripsit, (quae quanquam ad graeca arche- typa eandem ferme rationem habuerint, quam Weissii nostri tra- goediae ad Shakespearii, unde sint depromptae, tamen ad colendos poliendosque mores qui tum erant non nihil uidentur contulisse), metris graecis in linguam romanam traductis quanta ea esset agi- litate habilitateque ostendit eamque iam aliquantulum exultam iis qui insequabantur tradidit. E quibus *Naeuius* ceteroquin eadem atque *Liuius* secutus uestigia paulo longius processit, qui ‚dome- stica facta celebrare ausus‘<sup>2)</sup> fabulas praetextas docuit. Priuus autem uerus poeta dicendus est *Ennius*. is enim ipse intuitus Ro- manorum res bello punico secundo praeclare gestas, quo res pu- blica eorum non semel summo in periculo uersata experta est quid necessitate urgente sibi esset uirium, satis boni animi afferre potuit, ut aretiores fines, quibus latina lingua coerceretur, dilataret eiusque quantitatem prosodiaeam ad graecorum normam redactam constitueret. Saturnio igitur uersu, quo et *Liuius* et *Naeuius* car- mina epica scripserant, ut incomto et incondito spreto hexame- trum induxit, quem cum Saturnio pluribus constare intellegeret syllabis, ‚uersum longum‘<sup>3)</sup> uocauit). quaecun- que praeter Anna-

<sup>1)</sup> Sueton. de ill. gr. c. 1: ‚si quidem antiquissimi doctorum, qui iidem et poetae et oratores *semigraeci* erant, (*Liuium* et *Ennium* dico, quos utra- que lingua domi forisque docuisse adnotum est).‘ e. q. s.

<sup>2)</sup> Hor. epp. II. 3. 287.

<sup>3)</sup> Cic. de legg. II. 27 § 68 ‚incisam ne plus quattuor herois uersibus quos *longos* appellat *Ennius*.‘ Fortun. 8 § 3 p. 339 G. 2690 P. ‚hunc *Ennius longum* uocat.‘ — Auctor frgm. de caesuris in Malli Theod. ed. Heu- singeriana p. 93. (p. 582 ed. Gaisf. script. rei metr. lat.) ‚hexametros autem apud Latinos primum fecisse *Ennius* traditur eosque *longos* uocat‘ et *Isidor*. Origg. I. 38. § 6 p. 63 ed. Otto. ‚hexametros autem Latinos primum fecisse *Ennius* traditur eosque *longos* uocauit.‘ praeterea cf. Gell. XVIII. 15. § 1 ‚in *longis uersibus* qui hexametri uocantur.‘ Ouid. Am. III. 1. 66 ‚ergo ades

lium libros scripsit uel tragoedias uel comoedias uel carmina philosophica e Graecis imitando expressa uel quarum specimina dedit saturas, in iis omnibus multum uariumque diuersissimorum graecorum metrorum usum regnare fragmenta ab I. Ualdenio digesta ostendunt. Commemorandi sunt deinde *Plautus* et *Terentius* qui cum multo maiorem iambico uersui concederent licentiam quam comici ipsi graeci, non mirum est extitisse qui metro fabulas Plautinas et Terentianas alligatas esse negarent<sup>1)</sup>. Omitto reliquos tragicos et comicos poetas plus minusue ab exemplo superiorum pendentes, ut poetis lyricis eandem atque illis metrorum cognitionem fuisse demonstrarem. inter quos ,doctus<sup>2)</sup> *Catullus* graecae eruditionis uestigia premens noua eaque non pauca adhibuit metra carminibus fingendis ueluti choliambos hendecasyllabos priapeos galliambos. cum multo uarietate metrorum superat ,numerosus<sup>3)</sup> *Horatius* lyricorum romanorum princeps, qui *Alcae* *Sapphus* aliorum graecorum lyricorum carminibus in romana terra collocatis incertum reliquit utrum magis esset admirandum argumentum an forma. ac qui eum exceperunt poetae *Bassius* *Spurrinna* *Petronius*<sup>4)</sup> *Stadius* *Martialis* *Septimius* *Serenus*<sup>5)</sup> *Ausonius*, ut

---

et *longis uersibus* adde breuis.<sup>6)</sup> Diom. III. 13. § 1 p. 462 G. 493 P. ,super quas appellationes etiam latine *uersus longus* dicitur.<sup>7)</sup> Osann. Anal. crit. p. 31. — Ubi Ennius hexametrum nocauerit uersum longum mihi non tam dubium uidetur esse quam Uahlenio nullam certam ei fragmento sedem assignanti (Inc. frgm. XXVI. p. 178). in septimo enim libro, quo poeta punicum bellum aggressus est canere, prope uersus a Cicerone in Bruto §§ 76. 71 laudatos

scripsere alii rem

uorsibus quos olim Faunei uatesque canebant,

Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat  
satis iustam illis uerbis fuisse locum affirmauerim. cf. Uahl. p. 34.

<sup>1)</sup> Prisc. de metr. com. § 1 p. 410 G. 1319 P. ,miror quosdam uel abnegare esse in Terentii comoediis metra uel ea quasi arcana quaedam et ab omnibus doctis semota sibi solis cognita esse affirmare.<sup>8)</sup>

<sup>2)</sup> Terent. Manr. u. 2561.

<sup>3)</sup> Ouid. Trist. III. 10. 49.

<sup>4)</sup> Terent. Maur. n. 2486 ,Horatium nidemus uersus tenoris huius (sc. dimetri iamb. calat.) nusquam locasse iuges: at *Arbiter* disertus libris suis frequentat.<sup>9)</sup>

<sup>5)</sup> Terent. Maur. u. 1889 ,qui multos legere negant hoc corpore metri Romanos aliquid ueteres scripsisse poetas: dulcia *Septimius* qui scripsit opuscula nuper ancipitem tali cantauit carmine Ianum.<sup>10)</sup> De metro *philicio*

metra nondum in usum Romanorum recepta assumerent, minus artificioso quodam impetu quam noui inani studio ductos esse confitendum est.

Iam igitur cum tanta copia poetarum parata esset, innox multi fuerunt qui grammaticis studiis Romae suscitatis cum poetis tum praecipue Plauti et Terentii fabulis interpretandis operam darent, et quanquam plerumque id ita quidem factum est, ut indicein fabularum tantummodo conficerent uel in obscuras quasdam dictiones inquirerent, tamen facere non potuerunt quin et metrorum non nullam haberent rationem. quod qui primus, quantum scimus, fecit fuit *L. Cornelius Sisenna*, clarissimus orator idemque rerum Romanarum scriptor, e cuius commentariis Rufinus non nulla fragmenta ad rem metricam pertinentia seruauit, quae Ritschelii collecta illustrauit<sup>1)</sup>. post Sisennam qui in commentariis metra quoque tetigerint si quaeritur, e fragmentis ab eodem Rufino traditis intellegi licet *Asprum*<sup>2)</sup> in Terentii *Scaurum*<sup>3)</sup> in Plauti et *Euanthium*<sup>4)</sup> in Terentii comoedias commentarios scripsisse. hos tres solos certum est omnium Plautinorum Terentianorumque interpretum rationes numerorum a poetis comicis adhibitorum explorare conatos esse. nam qui auctores in Rufiniano indiculo<sup>5)</sup> extant, qui bene nouerint in Terentii Plautique fabulis mensuram esse, omnes in eo uersatos esse, ut metra exponerent, cogitari non posse Ritschelii egregie demonstrauit. Lyricorum poetarum nulli praeter Horatium honos habitus est, in quem commentarii metrici scriberentur, atque id ita quidem ut metrorum ratione ostensa artigraphi de metris Horatianis disputationem adicerent eaque libris suis finem imponerent. Sed haec hactenus de scholiastis metricis. —

Iam uenimus ad propositum nostrum, ut quo ordine qui singulis libris metra docuerunt uixisse uerisimile est singulos deinceps proponamus, quorum primum Romanis rem metricam exposuisse *Uarronem* censeo omissis et illo *Ennio* fabuloso, quem, ut

---

h. l. agitur quod apud poetas latinos se non repperisse Atilius Fort. 5 § 2 p. 322 G. 2678 P. confitetur. cf. quae capite quarto eo de loco dicemus.

<sup>1)</sup> Ritschelii de uet. interp. p. 4.

<sup>2)</sup> Rufin. de metr. com. § 2 p. 378 G. 2705 P.

<sup>3)</sup> ibid. § 20 p. 384 G. 2711 P.

<sup>4)</sup> ibid. § 1 p. 378 G. 2705 P.

<sup>5)</sup> ibid. § 30 p. 387 G. 2713 P.

Suetonius narrat <sup>1)</sup>, Lucius Cotta, duos libros de litteris syllabisue itemque de metris edidisse affirmat et *Cornelio Epicado*, quem et *Cornelio Epicado*, quem de metris scripsisse unum testimonium extat <sup>2)</sup>, quod cum Suetonius <sup>3)</sup>, qui affert Cornelium quendam Epicadum Sullae librum, quem is de rebus suis imperfectum reliquisset, suppleuisse, nihil de studiis illius in re metrica positis commemoret et cum praeterea auctores tantum posteriores uelut Charisius Arnobius Macrobius eum cognouisse uideantur, parum habet auctoritatis quam ut Epicadum metricum et Sullae libertum unum eundemque scriptorem esse putemus. itaque nescio an opportunus sit Epicadum, qui de metris scripsisse dicitur, in multo posteriora tempora referre <sup>4)</sup>.

## II. MARCUS TERENTIUS UARRO.

*Ritschl* quaestiones Uarronianae. Bonnae 1845 (§§ 12. 13. 14. 15.).

Sane expectandum erat, ut Uarro, qui omnes fere humanae cognitionis partes perscrutatus est, rem quoque metricam in orbem studiorum suorum uocaret multumque ad eam rectius perspicendam afferret, quod *ubi* fecisset nihil ante Ritschelium constabat, qui primus ea qua insignis est elegantia atque acie ingenii in hanc rem ita inquisiuit, ut quae antea fuerant ignota incertae nunc ita explanata sint, ut sibi quisque confiteri debeat esse persuasum. est enim ab illo uiro luculentissimis argumentis demonstratum Uarronem de metris quid statueret in *libris*, quos *de lingua latina ad Marcellum* scripsit, et ut uideatur in eorum libro septimo exposuisse. praeterea edocemur eum in *nouem disciplinarum libris* de numeris scripsisse, quanquam non in omnibus, tamen certe in iis, quibus arithmetican geometriam musicam grammaticam rhetoricam enucleauit. Locum perdignum qui annotaretur afferre oblitus est Ritschelius e Seruii tractatu de accentibus <sup>5)</sup>, qui ad disciplinam septimam, quae musica fuisse fertur, mihi uideatur referendus esse. —

<sup>1)</sup> Suet. de ill. gr. c. 1.

<sup>2)</sup> Max. Victor. de carm. her. § 5 p. 288 L. 1957 P.

<sup>3)</sup> Suet. de ill. gr. c. 12.

<sup>4)</sup> cf. Osannus Beitr. II. p. 359. ann. 8, qui locos ad Epicadum pertinentes collegit.

<sup>5)</sup> In Endlicheri Analectis gramm. p. 530 (§ 21).

## III. CAESIUS BASSUS.

O. Iahn, Persii satirae pp. 221 seqq. XXVIII seqq.

In hoc uno omnium, qui extant metricorum (nisi forte Terentianum appellas poetam), optime potest intellegi quam arcte cohacserint primis temporibus ratio atque usus. qui cum ad Nerone[m] librum de metris scripsisse a Rufino<sup>1)</sup> tradatur, nihil habet dubitationis quin sit habendus idem atque ille eiusdem nominis poeta lyricus, e cuius poematis Priscianus<sup>2)</sup> uersiculum quendam affert quique cum Persio habuit familiaritatem, quae quanta fuerit ex eo apparet, quod hic illi sextam satiram dedicauit, e cuius primis subobscuris uerbis recte mihi Iahnus collegisse uidetur eum uerborum origines numeris i. e. uersibus complexum esse. sed missam faciamus hanc de Bassi persona quaestionem. qui de ea edoceri uelit Iahnium adeat, qui copiosissime et doctissime ea de re exposuit. — Librum uero, qui nomine eius fertur, de metris fuisse inscriptum colligi licet et e paucorum, qui hodie supersunt, admodum recentium librorum Mss. consensu<sup>3)</sup> et e Terentiani<sup>4)</sup> et incerti de carmine heroico auctoris<sup>5)</sup> testimonio. minus autem certa suspicari possumus de indole eius, qui perturbatissimo statu ad nos peruenerit, ut nullus fere sit habendus. exceptis enim quae de metris Horatianis auctor disputauit, e quibus facile haud insolitae doctrinae capias documenta, quae sequuntur ita sunt comparata, ut magis uideantur orta esse ex obscuri magistri cerebello quam e Caesi Bassi ingenio, quem non solum ipsius aetas, sed etiam insecuta saecula doctissimum praedicant. quae quanquam ita se habent, ratione tamen cognitam habere possumus totius ope-

<sup>1)</sup> Rufin. de metr. com. § 5 p. 379 G. 2707 P.

<sup>2)</sup> Prisc. X. § 36 p. 897 P. „Caesius Bassus in II. lyricorum: *Calliope princeps sapienti psallerat ore.*“ Quint. X. 1. § 96.

<sup>3)</sup> cf. H. Keil. Anal. gramm. Halis a. 1848 edita. cod. Uatic. 3402. chart. 4. saec. XV. *Ars Caesi Bassi.* — Uatic. 5216 chart. fol. saec. XVI (idem quo Gaisfordius usus est). — cod. Ambros. 478. membr. fol. saec. XV.

<sup>4)</sup> Terent. Maur. n. 2358 „exempla ponam quae locasse Caesium libro notauit quem dedit *metris super.*“

<sup>5)</sup> Max. Uict. de carm. heroico § 5 p. 288 L. 1957 P. „contra quem item Caesius Bassus uir doctus atque eruditus in libro *de metris* Iambicus trimetrus ait.“

ris formam. praemissa enim praefatione, qua quid syllaba pes (caput quo pedes recensuit admodum mutilatum adhuc extat) metrum esset exposuit, priusquam ad metrorum genera tractanda transiit, e quibus fragmentum quoddam de iambico metro compositum Rufinus seruauit<sup>1)</sup>, eum esse in eo uersatum, ut poematis genera ostenderet, declarant extrema uerba, quae in editionibus Putschiana et Gaisfordiana leguntur. denique metra, quibus Horatius in carminibus usus est, deinceps eum illustrasse haud temere ex his coniciendum erit, quae Artis initium faciunt. in quam licet tam dire saeuitum esset temporum iniuria, hanc iacturam certe multo aequius ferre possemus, si libri Atilii Fortunatiani Terentianique, quos e Basso hausisse Lachmannus docuit, extarent integri. ac nescio an non nulla nec ea quidem exigua uestigia doctrinae eius apud Diomedem, qui eum semel commemorat<sup>2)</sup>, possint deprehendi: certum enim mihi quidem uidetur collatione eorum facta, quae uterque de pedum nominibus scripserunt, quae doctae de eorum originibus disputationes apud Diomedem leguntur non posse nisi ad Caesium Bassum referri.

### III. ATILIUS FORTUNATIANUS.

*Lachmann* praefat. Terent. M. pp. XV. XVI.

*Streuber* de Inscriptionibus quae ad numerum Saturnium referuntur. Turici 1845. pp. 28. 31—34. 47 sqq.

*Chr. F. Buehr* s. u. *Fortunatianus* in encyclopaedia Gruberiana.

Is quoque metricus miros perpressus est casus. qui cum sit admirandus Terentiani Mauri Uictorinique quasi dux ac lumen, quo omnis fere eorum doctrina nitatur<sup>3)</sup>, ut nullo Fortunatiano uix

<sup>1)</sup> Ruf. de metr. com. § 5. 379 G. 2707 P. Bassius ad Neronem de iambico sic dicit.<sup>4</sup>

<sup>2)</sup> Diom. III. 34. § 43 p. 496 G. 513 P.

<sup>3)</sup> Quam arcta coniunctio inter Fortunatianum et Terentianum et Uictorinum intercedat e collatis inter se locis his apparebit. Atil. Fort. c. 1 p. 312 G. 2671—2 P. Mar. Uict. II. 8. 17 p. 124 G. 2539 P. — c. 2 p. 313 G. 2673 P. Mar. Uict. III. 15. § 20 p. 183 G. 2582 P. — c. 3 p. 313 G. 2673 P. Mar. Uict. III. 12. §§ 17—21 p. 173—4 G. 2575 P. — c. 4 p. 315 G. 2674 P. Mar. U. III. 1. §§ 51—100 p. 203—214 G. 2595—2603 P. Terent. M. u. 2545—2914. — c. 5 p. 321 G. 2678 P. Terent. M. u. 1861—1907. M. U. II. 6. § 4 p. 116 G. 2977—8 P. III. 16. §§ 4. 5. p. 185 G. 2583 P. — c. 6. p. 322 G. 2679 P. M. U. II. 10 (§ 13) p. 130 G. 2543—5 P. — c. 7

fuerint ipsi, tamen tanta nomen eius obductum est caligine, ut neque personam neque aetatem eius pro certo exploratam nos habere possimus praedicare. ac primum quidem bene tenendum est, (quod iam Lachmannus ueri inuestigator felicissimus uidit), eorum, quae Atilii Fortunatiani nomine in editionibus Putschiana et Gaisfordiana hodie extant, multo maiorem partem ab hoc grammatico alienam esse. adeo enim et discrepant et consentiunt inter se singulae partes, ut qua ratione sint profectae ab uno eodemque auctore nequeat perspicui<sup>1</sup>).

Qua aetate uixerit Atilius Fortunatianus prioris partis scriptor ex auctoribus indagans, quos ab eo commemoratos uides, cum eorum nullus reperitur, qui Horatio sit minor<sup>2</sup>), accedente genere dicendi, quod ualde a technicis discrepat, facile eum in prima imperii tempora referres eumque ideo Caesio Basso maiorem putares, nisi locus quidam, quo is hunc ipsum impugnare uidetur, qui metrum asclepiadeum, quo Horatius in prima oda libri primi usus est, pentametro decurtato<sup>4</sup> factum censuerit, ut syllaba addita fieret pentametrum, doceret Fortunatianum uix posse ante Caesium Bassum uixisse<sup>3</sup>). id autem non dubito quin, qualemcunque Terentiano Mauro Septimioque poetae aequali eius assignas aetatem siue Traiani siue Diocletiani, eos aetate multum praecur-

---

p. 323 G. 2679 P. M. U. II. 11. p. 133 G. 2545 P. T. M. u. 1464. — c. 8  
p. 323 G. 2679 P. M. U. III. 18. p. 190 G. 2586 P. T. M. u. 2497. — c. 9.  
p. 325 G. 2680 seqq. P. M. U. III. 1. § 3 p. 136 G. 2547 P. III. 3. p. 222  
G. 2609 P. T. M. u. 2914.

<sup>1</sup>) Id quod satis ostendere uidentur codices, (sunt enim iidem qui Caesii Bassi frgm. continent,) in quibus priorem eamque antiquiorem partem non nulla aliena e grammaticis scriptis sequuntur, altera autem pars nullo praenomine addito *ars Fortunatiani* appellatur.

<sup>2</sup>) Praeterea commemorantur *Vergilius* (4. 11. p. 317 G. 2675 P.) *Catullus* (4. §§ 10. 13. 18 p. 317—320 G. 2675—7 P.) *Maecenus* (4. §§ 17. 18. 20 p. 319. 20 G. 2677 P.) *Lepidus* (4. 16. p. 319 G. 2677 P.) poeta nullus est: fortasse *Laenius* erotopaegnon poeta intellegendus est. cf. Gaisf. ann. 4. § 18 p. 320 G. 2677 P.

<sup>3</sup>) At. Fort. 9 § 10 p. 327 G. 2682 P. ,sed qui altius haec non perspexerunt grammatici hoc putant metrum decurtato pentametro factum.<sup>4</sup> Caes. B. 1. p. 302 G. 2664 P. ,si uero ad penultimam partem ultimae dipodiac breuis syllaba addatur fiet elegiacus uersus pentameter.<sup>4</sup> T. M. u. 2650—7.

rat Atilius. qui cum queratur<sup>1)</sup> apud romanos poetas nullum posse reperiri philicii uersus exemplum, quod speciminis causa proponat, ad eum Terentiani<sup>2)</sup> uerba referenda esse manifestum est:

,qui multos legere negant hoc corpore metri  
Romanos aliquid *ueteres* scripsisse poetas.  
dulcia Septimius qui scripsit opuscula nuper  
incipitem tali cantauit carmine Janum.

*Iane pater, Iane tuens, diue biceps biformis,  
O cate rerum sator, o principium diuorum,  
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,  
Cui reserata mugiant aurea claustra mundi.*<sup>3)</sup>

Quod ut recte dictum uideatur, conferantur ea quoque, quae Atilius et Terentianus de uersu Saturnio eiusque origine scripserunt, e quibus intellegi poterit et illum ab hoc paene ad uerbum esse expressum et magnum temporis spatium inter utrumque intercedere. nam Terentiani uerba<sup>3)</sup> ,quem (sc. uersum) credidit *uetustas* tanquam Italici repertum Saturnium uocandum<sup>4)</sup> uix alio sunt referenda, nisi ad Atilium scribentem haec<sup>4)</sup>: ,quem (sc. uersum Saturnium) *nostri* existimauerunt proprium esse Italicae regionis.<sup>5)</sup> *nostros* igitur is appellat, qui *uetusti* uidebantur Terentiano. Hoc loco paucis admonendum puto, ne quis eo, quod Atilius poetas ultimis rei publicae temporibus florentes semel<sup>6)</sup> *antiquos* nominat offendatur, neue idcirco hunc ipsum aliquot seculis post uixisse putet: recordetur autem potius, qui uel primo imperii saeculo uiuebant eos propter rerum statum mutatum morumque diuersitatem de rei publicae temporibus, ut de remotis iam satis a se loqui<sup>6)</sup>. His omnibus de causis moueor, ut uix ultra centesimum

<sup>1)</sup> Atil. Fortun. 5. § 2 p. 322 G. 2678 P. ,apud nostros hoc metrum non reperio.<sup>4)</sup>

<sup>2)</sup> Terent. M. u. 1889.

<sup>3)</sup> id. u. 2500. Hic locus fortasse iniuria a Lachmanno p. XII. spreus.

<sup>4)</sup> At. Fort. 8. § 1 p. 323 G. 2679 P.

<sup>5)</sup> At. Fort. 4. § 13 p. 318 G. 2676 P. ,apud antiquos auctores ut apud Catullum.<sup>4)</sup>

<sup>6)</sup> Plin. epp. V. § 21. § 1 ,sum ex iis qui mirer *antiquos*, non tamen ut quidam temporum nostrorum ingenia despicio.<sup>4)</sup> Auct. dial. de orat. in. ,neque enim ita (oratores) appellamus nisi *antiquos*.<sup>4)</sup> Tac. Ann. III. 55. — Haase praef. ad Tac. edit. min. Lips. 1855. p. XVIII. ann. 67. Bernhardt rom. litt. hist. ed. alt. p. 181.

p. Chr. n. annum Atilium Fortunatianum uixisse contendam <sup>1)</sup>. — Cuius librum ualde truncatum aetatem tulisse partemque multo maiorem intercidisse inde patet, quod initium facit de uersu sotadeo disputatio et quod auctor non nunquam ad priora, ubi eadem a se tractata sint reicit lectorem, quorum uestigium frustra ibi quacuueris. inuenitur enim nihil de natura ultimarum syllabarum, quam se iam demonstrasse affirmat <sup>2)</sup>, nihil de pedibus <sup>3)</sup>, nihil de tetrametro Hipponacteo <sup>4)</sup>, nihil de iambico quadrato <sup>5)</sup>, nihil de epodo Callimachi <sup>6)</sup>, nihil de metro ionico, quod si in antecedentibus non perlustrasset, cum de metris Horatianis disputaret, certe commemorasset <sup>7)</sup>. — Fontes uero, e quibus hauserit Atilius et propter eius aetatem, qua plerosque grammaticos anteit et propter tristem conditionem, qua liber ad nos peruenit, nullos possum afferre praeter Caesium Bassum — quem imitatus est latinas graecis prae-

<sup>1)</sup> Forsitan haec a me prolata sententia magis sit probanda quam Baelrli et Streuberi uirorum doctissimorum, qui Atilium non dubitabant in Cassiodori tempora detrudere: Streuberus quidem non sine specie iustae causae, sed re non omni ex parte considerata. nam eo, quod Fortunatianum uersus quosdam de tabulis antiquis in Capitolio fixis, quod una cum inscriptionibus, quocumque tempore eum uixisse affirmaueris, consumtum fuisse incendio satis constat, afferre et hic illic in errores incidisse deprehendebat, quibus Terentianus et Uictorinus uacarent, nullo modo adduci debebat, ut ei et fide et aetate Mar. Uictorinum antecedere statueret, sed erat ratio totius libri perpendenda, quem auctor ipse monet, paucis diebus et memoria tantummodo adiuuante<sup>1</sup> ortum esse (cf. 9. § 20 p. 330 G. 2684 P.), unde fieri potuit, ut errores non nulli subreperent, quos Uictorino aliorum sententias diligentissime examinanti corrigere admodum erat procliu. neque debebant Streubero tabulae Capitolinae nimiae esse offensionis, quae quanquam iam diu Atilii temporibus interciderunt, uix est credibile in iis qui uersus inscripti fuerunt, quibus laudes optime de republica meritorum Romanorum celebrarentur, una cum tabulis memoria posterorum elapsos esse, aut haec si minus probentur, nonne auctor potuit istorum uersuum notitiam ex aliorum nunc deperditorum grammaticorum libris haurire? quid ni e Uarrone, undecumque doctissimo<sup>1</sup> romanarum antiquitatum exploratore, cuius libros grammaticos ante oculos Atilius habuit?

<sup>2)</sup> At. Fort. 2. § 3 p. 313 G. 2673 P.

<sup>3)</sup> id. 7. p. 323 G. 2679 P.

<sup>4)</sup> id. 3. § 1 p. 314 G. 2673 P.

<sup>5)</sup> id. 4. § 23 p. 321 G. 2678 P.

<sup>6)</sup> id. 4. § 3 p. 315 G. 2674 P.

<sup>7)</sup> id. 9. § 1 p. 325 G. 2680 P. *ibid.* § 20 p. 330 G. 2684 P.

ferens terminationes, ut nunquam *hexameter pentameter trimeter*, sed semper *hexametrus*<sup>1)</sup> *pentametrus*<sup>2)</sup> *trimetrus*<sup>3)</sup> scriberet, quem Caesii fuisse morem ab auctore de *carm. heroico* accepimus<sup>4)</sup> — et Terentium Uarronem, cuius semel mentionem facit<sup>5)</sup>. Neque est cur hanc fontium paucitatem mireris, cum Fortunatiani fuisse non uideatur instar magistri docta praecepta insolitam eruditionem spirantia tradere, sed id tantummodo, ut ipse confitetur<sup>6)</sup>, libro consequi uoluit, ut quodcunque metrum nouum aliquis se inuenisse iudicaret, ad haec quae enumerauisset, utique referretur. itaque graecis quoque exemplis abstinuit, quae in libris, quos de melicis poetis et de tragicis choris scripturus erat, se interpositurum pollicitus est<sup>7)</sup>.

Quod Atilius Fortunatius cauit, ne latinis immisceret exempla graeca, id satis abundanter sibi permisit *alter Fortunatianus* (ita tam diu appellandus, quam diu aliud nomen non repertum est), cuius doctrina magnam partem uidetur petita esse e graecis, e quibus utrum Hephaestionem an alium, cuius libros interiisse Iugemus, grammaticum graecum adhibuerit, definiri nequit. nam etsi negari non potest et non nullorum metrorum definitiones<sup>8)</sup> et pleraque graeca exempla ad Hephaestionem esse reuocanda, tamen in materia disponenda maior intercedit discrepantia quam ut hunc Fortunatiani fuisse fontem pro certo possit affirmari. quem in libro componendo idem atque Atilium consilium secutum esse

1) At. Fort. 9. § 14 p. 328 G. 2683 P.

2) id. 2. § 3 p. 313 G. 2673 P.

3) id. 9. § 12 p. 328 G. 2682 P.

4) Max. Uict. de *carm. her.* § 5 p. 288 L. 1957 P. cf. supra p. 6 ann. 5. Rufin. de *metr. com.* § 5 p. 379 G. 2707 P. *tribrachus — trimetrus.*<sup>4</sup>

5) At. Fort. 4. § 15 p. 319 G. 2676 P.

6) At. Fort. 9. § 20 p. 330 G. 2684 P.

7) *ibid.* § 25 p. 331 G. 2685 P.

8) Heph. X. p. 56. 15 (ed. Gaisf.) *ῥᾶν δὲ τριμέτρων, τὸ μὲν καταληκτικόν, τὸ μόνον τὴν πρώτην ἀντισπαστικὴν ἔχον, τὰς δὲ ἑξῆς ἄλλας λαμβνικάς, Φαλαίκειον καλεῖται.*<sup>4</sup> coll. Fort. c. 25. p. 350 G. p. 2697—8 P. *Ecce Phalaecium metrum partem primam de antispastico metro habet, sequentem de iambico.*<sup>4</sup> — Praeterea cf. de uersu lognoedico-anapaestico Heph. c. VIII. p. 49. 12. Fort. c. 23. p. 250 G. 2697 P.

potius crediderim, qui nouem metris prototypis (tot enim efficiuntur metro proceuleusmatico adiecto)<sup>1)</sup> collatis ad ea, quae ex his sunt deducta (*παράγωγά*) aut adiectione aut detractioe aut concinnatione aut permutatione componenda transiit. quid quod tantus aliquotiens inter utrumque Fortunatianum animaduertitur consensus, ut alter alterum ad uerbum paene expressisse uideatur? huc pertinet et ille totus locus, quo exponitur qua ratione e metris prototypis deriuentur paragoga<sup>2)</sup> et tabularum antiquarum commemoratio<sup>3)</sup>, de quibus modo diximus. Denique in fontium

<sup>1)</sup> Atil. Fort. 7. p. 323 G. 2679 P. Fort. 2, 17. p. 347 G. 2695 P.

<sup>2)</sup> At. Fort. 9. § 20—23 p. 330—1      Fortunat. c. 28. § 1—3

G. 2684 P. coll.

cum omnia metra uariantur aut adiectione aut detractioe aut concinnatione aut permutatione, esse alias species non ignoro, sed hae sunt praestantissimae. Adiectione ita *Soluitur acris hiems grata uice ueris et Fauoni*. accessit enim heroo metro syllaba, quae uersum facit longiorem. Detractione tanquam *Trahuntque siccas machinae carinus*. detracta enim trimetro syllaba fecit illum minorem. Concinnatione tanquam *Iam satis terris nī | uis atque dirae*. pars enim tetrametri cum priore parte trimetri commissa est. Permutatione tanquam *Occasionem de die | dumque uirent genua*. Nam cum Archilochus heroī partem cum iambici priore parte commiserit ita ut antecederet heroū in hunc modum *Scribere uersiculos | amore percussum gravi* Horatius immutauit ut antecederet iambici pars, sequeretur heroī, sic *Occasionem de die | dumque uirent genua*.<sup>4)</sup>

cum

p. 351—2 G. 2698—9 P.

admonitum uelim omnia, quae paragoga diximus, componi ex illis principalibus metris aut adiectione aut detractioe aut concinnatione aut permutatione. Adiectione ut *Soluitur acris hiems grata uice ueris et Fauoni*. accessit enim heroo metro syllaba, quae uersum facit longiorem. Detractione tanquam *Trahuntque siccas machinae carinus*. detracta enim syllaba trimetron fecit minorem. Concinnatione *Iam satis terris nī | uis atque dirae*. huius enim prima caesura trochaica, sequens iambica est. Permutatione, sicut cum Archilochus primam partem heroī fecerit, sequentem iambici, ut est *Scribere uersiculos | amore percussum gravi* Horatius permutauit et fecit priorem iambicam, sequentem heroicam, ut est *Occasionem de die | dumque uirent genua*.<sup>4)</sup>

<sup>4)</sup> Atil. Fort. 8. § 2 p. 324 G. 2680 P. Fort. c. 27 § 1 351 G. 2698 P. Huc addendus est locus alter Atilii corruptus (c. 9. § 2 p. 325 G. 2681 P.) qui optime restituitur Fortunatiani loco (c. 28 §§ 7. 8 p. 353 G. 2699 P.) ille enim scribit: „monostropha uocantur haec carmina, quia ad primam strophē cetera respondent nullo interueniente epodo, qui a prima strophā

numero ponendus est auctor satis accurate a Fortunatiano excerptus fragmenti apud editores Uindobonenses Analectorum grammaticorum *de uersibus* inscripti, cuius quae sola capita de metro trochaico et dactylico extant sine magna opera in Fortunatiano recognosces <sup>1)</sup>. Cuius fontis notitia maximi momenti est, quod, recte si inspicati erimus fragmentum illud ad Iubae de metris scriptum librum pertinere Iubamque non posse ante seculum tertium extremum uixisse, alteri Fortunatiano non prius quam seculum quartum esse assignandum apparet.

## V. CENSORINUS.

*O. Jahn.* Censorini de die natali liber ad Q. Cerellium. Berol. 1845.

Otto Iahnus sententiam primum a Carrione propositam Censorini de die natali libro adiuncta grammatica fragmenta non huic, sed alii auctori tribuenda esse in praefatione repetiit <sup>2)</sup> nec tamen eam, ut opinor, satis idoneis argumentis muniuit. nam quod finis libro illi deest <sup>3)</sup>, non erat concludendum, quae eum sequuntur necesse esse Censorino derogarentur, quem apud Priscianum et Cassiodorum grammaticae eruditionis laudem obtinuisse editorem doctissimum non fugit <sup>4)</sup>. hunc doleo eam proprietatem, quam

---

differat (et) faciat eam, quam musici et grammatici . . . denominant.<sup>5</sup> Miror cur Gaisfordius rei metricae tam intellegens existimator ueritus sit lacunam explere, cuius explendae cod. Vatic., in quo *trius* legitur, aliquam ansam praebere uidetur. scribendum enim est *triada*. id quod docent Fortunatiani et Hephaestionis (p. 114. 1) loci.

<sup>1)</sup> cf. p. 516—521 consensum illorum duorum auctorum diligentissime notis indicauerunt editores doctissimi.

<sup>2)</sup> prolegg. p. X. „E codice enim archetypo casu quodam exciderant folia aliquot, in quibus finis libri de die natali et initium alterius illius scriptum erat, quod librarii non animaduernerunt ut neque a primis editoribus intellectum est.“

<sup>3)</sup> *ibid.* „quanquam enim a nemine obseruatum est finem libro deesse id tamen his quae p. 72 monita sunt satis probatum est.“ p. 72. „finem libro deesse manifestum est, nam supra c. 16. 1. se de Cerelli die natali acturum esse professus est et quin extremo libro patronum allocutus sit similiter ac primo et medio (c. 15. 4) factum uidemus non potest esse dubium.“

<sup>4)</sup> *ibid.* p. V: Prisc. I. 4. 17 p. 545 P. „doctissimus artis grammaticae;“ *ibid.* XIII. 1, 6. p. 978 P. *ibid.* 4, 40. p. 993 P. Cassiod. de arte gr. 1. de musica in fine p. 576 P.

ipse animaduertit fuisse *singulorum* istorum truncorum, quod in iis auctorem antiquis fuisse usum fontibus apparet, unde non aliunde nota eaque plerumque notatu haud indigna referret, non intellexisse *utrisque* esse communem et libro ad Cerellium scripto et fragmentis <sup>1)</sup>. Codices uero excepto admodum recenti Gorlicensi, in quo haec leguntur *finis Censorini* noli mirari nullam habere subscriptionem; nam uetustissimus Darmstadiensis septimo seculo exaratus, e quo reliqui omnes fluxisse dicuntur, ne initio quidem quicquam habet, quo Censorinus auctor libri esse possit putari. inscriptum est enim nihil nisi *Incipit liber aliud*. Sed grauior Gorlicensi est codicis Bernensis auctoritas, quem Iahnus in praefatione <sup>2)</sup> anno MIII, in recensione autem codicum fragmenta continentium nescio quo modo seculo XV scriptum esse affirmat et qui ultimo folio capita V, VI, VII, VIII exhibet suprascripto titulo *ex libro Censorino de geometria*. res igitur nondum ita profligata est, ut non amplius sit de ea dubitandum.

Quod ad metricas disputatiunculas attinet, quibus fragmentum finitur, earum pretium minus in doctrina, quae iis haudquaquam nouos auctus cepit quam potius in eo positum esse confitendum est, quod auctor solus non nullos haud dubie ex antiquis tragicis latinis petitos uersus attulit, qui quo probabiliter pertinerent Iahnus in annotatione docuit. gratum uel hoc accidit, quod per eundem comperimus <sup>3)</sup> quid diuus Lachmannus iudicauerit de fonte, unde doctrinam suam petiisse uerisimile esset metrici fragmenti auctorem, quem secutum esse Caesium Bassum se alibi accuratius dicturum esse pollicitus est. cui aut per uoluntatem aut per grauiora studia non licuisse promissis stare uehementer dolendum est, cum quae res etiam nunc maxima in dubitatione uersatur, per eum

<sup>1)</sup> prolegg. p. VIII. (de libro de die natali): „neque nos possumus quin grati agnoscamus rerum atque scriptorum haud paucorum notitiam nobis tradidisse solum aut prae ceteris Censorinum“ ibid. p. XII. „quae tum de musica traduntur ea maximam partem ex antiquioribus fontibus hausta esse apparet. Probat hoc iam poetarum aliorumque scriptorum quorundam commemoratio qui minus noti fuisse uidentur quam pro huius scriptoris doctrina.“ p. XIII.: „denique quae de *metrica* disputantur ab antiquiore auctore petita esse uel inde uerisimile est quod tragicorum antiquiorum uersus haud paucos hic solus seruauit.“ —

<sup>2)</sup> prolegg. p. XXI.

<sup>3)</sup> ibid. p. XIII.

atque ad liquidum perducta esset. mihi quidem non contigit, ut aliam inter utrumque metricum intercedere intellegrem cognationem quam quod uterque graecae solet praeferre enunciationem latinam, ita ut *hexametrus* (sive *hexametros* secundum orthographiam uetustam), *pentametrus tetrametrus trimetrus* scribat uersumque Phalaecium hendecasyllabum latine reddat Phalaecium *undecim syllabarum*<sup>1)</sup>. — Censorinus uixit ineunte tertio seculo p. Chr. n.<sup>2)</sup> —

## VI. IUBA.

Fr. Ritschl (de stichometria) Ind. lect. uniu. Bonnensis a. 1840/41. pagg. VIII X.

Litterarum antiquarum historiam perscrutans haud scio an nullum auctorem reperias, cuius uita aetas patria tam sint caligine obductae, quam cuius nomen praepositum uides. cuius rei culpam iniqui essemus, si in temporum praeteritorum iniuriam conferremus, quae nec Iubae scripta nec satis diserta de eo testimonia tradidissent, neque uellemus libere confiteri nimio studio cuiusdam uiri, cui cum errantibus ueritatis uiam saepenumero monstrauerit magis quam ulli alii errare permissum sit, hanc de Iuba quaestionem esse turbatam. Ritschelium enim uirum de antiquis litteris maxime meritum quod mouit, ut quod G. I. Uossii iudicio confirmatum<sup>3)</sup> uolgo credebatur Iubam metricum esse alium atque eiusdem nominis scriptorem Graecum, haud cunctanter subuerteret, mihi re diu circumspecta nulla ex parte probari potest. ille cum in eo esset, ut propositam de Heliodori aetate sententiam contra Bernhardii dubitationes defenderet argumentationi iam prius a se institutae nouum quoddam grauissimum Marii Victorini ad-

<sup>1)</sup> Censor. fragm. c. 14. § 4. *trimetros trimetrus*. § 5. *trimetros* (bis) *tetrametros hexametros*. c. 15. *trimetrus trimetros*. — *Undecim syllabarum Phalaecius* p. 97 ed. Jahn.

<sup>2)</sup> Cf. Jahn prolegg. p. V.: „Censorinus quo tempore uixerit non potest esse dubium, cum ipse tradat librum de die natali conscriptum esse Olympiadis CCLIII anno secundo (p. 56, 6) sive Ulpiano et Pontiano consulibus (p. 63, 16) i. e. ab U. c. DCCCXCI, post Chr. n. CCXXXVIII: praeterea autem nihil de uita eius constat.“

<sup>3)</sup> J. G. Uossius hist. gr. II. p. 220: „alius est Iuba, ex quo Priscianus initio libri de uersibus comicis aliqua refert de iambicis caecometris. grammaticus is fuit et latine scripsit.“

iecit testimonium<sup>1)</sup>, ubi et ipse commemoratur Iuba: ,at Iuba noster, qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit insistens Heliodori uestigiis, qui inter graecos huiusce artis anti-  
stes aut prius aut solus est' e. q. s. Et cum Iuba, qui eiusmodi laudibus effertur, non possit esse ,aliquis obscurus magistellus, cuius nusquam praeterea ulla mentio fiat' sibi concludendum putat eum esse illum *πολυμαθέστατον* Numidiae regis a Caesare capti regnoque priuati filium et cum Heliodori uestigiis insistere Iuba perhibeatur, sequitur, ut Heliodorus Augusti aetate prior sit habendus. Omittamus Heliodorum ut inutilem sterilemque testem, qui ut tam uetustus scriptor sit putandus, ut Caesar Augustus non sit magis, disputationem nostram haud quaquam impedire potest, cum saepissime factum sit, ut uetustissimos fontes ad uerbum fere exprimerent grammatici multo posteriores. itaque Terentianus Maurus eodem iure, quo Iuba Heliodori, dici potest Caesii Bassi et Atilii Fortunatiani uestigia pressisse.

Dixi de Ritschelio: nunc dicendum de Iuba. de quo quae mihi uisa sunt, quamquam non nescius sum non omni dubitatione esse exempta, tamen me non praeter maximam uerisimilitudinem disputasse spero iudicatum iri.

Quis enim, quaeso, testis siue graecus siue latinus ullo uerbo unquam affirmauit Iubam graecum scriptorem rerum uel ad historiam uel ad geographiam uel ad naturalem historiam pertinentium eundem scripsisse artem metricam eamque latine, aut qui Iuba metricus apud grammaticos latinos commemoratur eundem insuper libros edidisse graece? quid quod Plutarchus<sup>2)</sup> Iubam Numidiae regis filium doctissimis graecorum scriptoribus annumeratum esse tradit, ut eius omnis doctrina, quanquam Romae erudiebatur, fluxisse uideatur a Graecis? id quod de eo praedicari nequiret, si libro de metris latine edito tantam apud latinos scriptores adeptus esset famam, quantam eum adeptum esse Marii Uictorini uerba nos docent. quae lans certe tanta est, ut totam per antiquitatem silentio praeteriri uix potuerit. Iam uero non potest ulla iusta causa excogitari, cur Iuba litterarum Graecarum studiosissimus in una

<sup>1)</sup> Mar. Uict. II. 9. § 8 p. 127 G. 2541 P.

<sup>2)</sup> Plut. Caes. c. 55. Τότε και Ἰόβας υἱὸς ὧν ἐκείνον κομιδῇ νῆπιος ἐν τῷ θριάμβῳ παρήχθη μακαριωτάτην ἀλοὺς ἄλωσιν ἐκ βαρβάρων και νομάδος Ἑλλήνων τοῖς πολυμαθεστάτοις ἐνάριθμος γενέσθαι συγγραφεῦσιν.

arte metrica scribenda lingua latina uti uoluerit, qui Heliodori graeci metrici uestigia persecutus dicitur. an non est credibile Iubam graecum, si scripserit artem in eaque componenda ex Heliodoro hauserit, graece eam scripturum fuisse? denique quod Marius Victorinus duobus locis <sup>1)</sup> Iubam appellat *nostrum*, eum nec graecum nec barbarum, sed Romanum fuisse aperte significat. sic enim solet ille appellare Romanos <sup>2)</sup>. —

His rebus omnibus adducor, ut alium fuisse putem Iubam, qui graece, alium, qui rem metricam latine scripserit. hic in quod tempus sit referendus si quaeris, eum Terentiani aequalem affirmauerim, qui si ante eum uixisset, eius mentionem aliquam haud dubie fecisset et non nihil e doctrina illius attulisset. cuius cum in eo nullum uestigium appareat et cum rursus iam Sacerdoti, quem non multum post Terentianum uixisse mihi est probabile, cognitus sit <sup>3)</sup>, non sine magna ueritatis specie, quemadmodum spero, illa quam dixi aetas efficitur. et quod inde a Sacerdote omnis fere grammaticorum turba eum non nunquam laudat, si casus esset, certe singularis esset casus.

Ut igitur breuiter sententiam complectamur: fuit sub finem tertii p. Chr. n. seculi quidam Iuba grammaticus latinus, qui nulla alia re nomen inuenerit, nisi arte metrica. ac tantum quidem abest, ut cum Ritschelio eum obscurum magistellum crepemus, ut unum e numero illa actate clarissimorum grammaticorum fuisse contendamus. —

Quod ut quam uerissime dictum esse uideatur, necesse est de fragmentis magnam partem iam ab Heusingero ad Mallium Theodorum <sup>4)</sup> diligenter indicatis uideamus eaque, utcunque res casura

<sup>1)</sup> Mar. Uict. II. 7. § 3 p. 115 G. 2543 P. id. II. 9. § 8 p. 127 G. 2541 P.

<sup>2)</sup> Mar. Uict. I. 4. § 96 p. 25 G. 2468 P. „ex nostris autem (grammaticis) Cincius Fabius Gellius.“ id. II. 4. § 17 p. 108 G. 2526 P. „quod frequentius apud nostros quam apud Graecos inuenies.“ id. II. 2. § 37 p. 99 G. 2518 P. Uergilium appellat *nostrum* Homerum. id. II. 4. § 26 p. 110 G. 2527 P. „quod genus nostri in Atellanis habent.“ id. II. 8. § 7 p. 122 G. 2537 P. „Cicero noster.“ id. III. 14. § 7 p. 177 G. 2578 P. „Pomponius noster.“ III. 12. § 16 p. 173 G. 2575 P. III. 3. 1. p. 222 G. 2609 P. „Iyricus noster“ (Horatius.)

<sup>3)</sup> Plot. Sac. 11. § 11 p. 300 G. 2664 P.

<sup>4)</sup> Mall. Theod. 6. § 5. (ann.)

est, in certum quendam ordinem, quo in Iubae libro ea extitisse ucri simile est, digeramus additis tantummodo quae ad intellegendum maxime necessaria nobis sunt uisa. atque his, quotquot hodie restant, perlustratis Iubam ita egisse existimauerim, ut primum de litteris syllabisque, deinde de pedibus, tum de metris prototypis, quae per singula capita uel (ut cum Rufino loquar) per singulos libros tractasse uideatur, denique morcm grammaticorum secutus de metris connexis inter se atque inconnexis siue asynartetis exponeret. quae fragmenta numero XII (omisso Rufini loco<sup>1</sup>), quo Iuba inter eos scriptores commemoratur, qui nouerint Plautum Terentiumque metris esse usos in fabulis scribendis) ita sunt distribuenda, ut primum ad caput de litteris, secundum et tertium ad syllabas, quartum ad metrum dactylicum, quintum sextum septimum octauum ad metrum iambicum, nonum ad trochaicum, decimum ad metrum antispasticum, undecimum et duodecimum ad metra ionica referendum sit.

## 1.

**POMPEII COMMENTUM ARTIS DONATI** segm. I. 18. p. 32 Lindem. ,antiqui per ·K· scribebant, quando uolebant significari, quod ·A· sequebatur. Solissimam rem dicit *Iuba*.<sup>1</sup>

De hac re iam a Quintiliano tradita cf. Reisigii schol. lat. § 45 et ad hos ab eo allatos locos adde Claud. Sac. II. § 169 (Probi Inst. gr. II. 3. § 12 p. 142 L. 1486 P.). Don. I. 2. § 3 p. 5 L. 1736—7 P. Mar. Uict. I. 3. § 23 p. 5 G. 2453 P. — *solissimam* interpretatus est Lindemannus: *uicive ueram*; fortasse recte, nisi legendum censes *solidissimam*.

## 2.

**POMPEII COMMENTUM ARTIS DONATI** segm. II. 3. p. 39 L. ,*scribensque patri uerbi causa asperrimus uersus est. quare? quia hoc ipsud ·E· naturaliter longum est, deinde sequitur ·N· et ·S·. crescit tempus. quoniam sequitur ista coniunctio, illud crescit. quattuor tempora sunt et asperrimus fit uersus scribensque et latet causa asperitatis . . . habetis hanc rationem in ,Iuba*.<sup>1</sup>

Id fragmentum mirifice quam arcta Iubae et graecorum musicorum et metricorum fuerit coniunctio probare uidetur, quos notum est docuisse syllabis quibusdam diuersissima esse temporum spatia: eas esse aut longis lon-

<sup>1</sup>) Rufin. de metris comicis § 30 p. 388 G. 2713 P.

giores (χρόνοι παρεκτεταμένοι), aut breuibns breiores (χρόνοι βραχύτεροι); et cum longis longiores eae syllabae dicantur, quae duobus plura continere possint tempora, apparet syllabam mediam uerbi *scribensque* esse χρόνον παρεκτεταμένον eamque, quae secundum Inbam uel Pompeium quattuor habere perhibetur tempora, esse χρόνον παρεκτεταμένον τετράσημον. cf. Rossbach, Rhythm. § 7. —

## 3.

**SERUI COMMENT. IN UERGILII AEN. V. u. 522, obiicitur.** superius de his particulis secundum *Iubam* artigraphum tractauimus. sed dicunt alii istas monosyllabarum ratione uel produci uel corripi. sane sciendum naturae esse, ut breues sint: euphoniae uel *Iubae* ratione in compositione producuntur, quae licet non sit consonans, potest tamen in declinatione pro consonante haberi, ut *obiicit, obiecit, subiicit, subiecit.*<sup>4</sup>

Hoc loco *Iuba* narratur notissimam atque omnibus grammaticis probatam doctrinam statuisse uocalem ·I· alia eum sequenti uocali loco consonantis accipiendam esse ideoque antecedente breui in consonantem terminata syllaba positionem efficere eamque longam reddere posse. cf. Mar. Uict. I. 5. §§ 6, 11 p. 30 G. 2471 P.

## 4.

**PLOTIUS SACERDOS** c. 11. § 11 p. 300 G. 2664 P. ,Fit asynartetum etiam per antipathian, id est contrarietatem; ac si quis proceleusmaticum pedem, qui anapaestico datus est metro, contrario eius id est dactylico praestet ut Uergilius

*Arietat in muros et duros obice postes,*

*Genua labant, gelidus concreuit frigore sanguis.*

*Inclusere caua et nigra nemus abiete cingunt.*

Quos pedes quidam faciunt dactylicos primas duas breues pro longa accipientes, sicut praecepit *Iuba* metricus, sed errans.<sup>4</sup>

Neutram esse accipiendam sententiam patet neque esse dactylicos uersus, quorum arses sint solutae, (in quam opinionem et ipsum Maxim. Uictor. de rat. metr. § 7 p. 298 L. 1968 P. incidisse haec docent uerba eius: quattuor syllabae breues pro spondeo poni possunt, ut *genua labant*. Hic enim *genua la* scanditur, in quo pede priores duae breues iunguntur, ut unam longam faciant poetica licentia, quae magis in iambicis uersibus est permessa et celebris), neque esse asynartetos, sed per synaeresin duas esse syllabas in unam cogendas, ut ·I· et ·U· uocales consonantium loco uideantur esse positae. itaque pronunciandum *ārjetāt, ābjētē*

*γεννά ἰά*. Quo iure hos Vergilianos uersus (Aen. XI. 890. V. 432. VIII. 599) potuerit Sacerdos asynartetos habere a Rossbachio et Westphalo discere poteris. (Metr. p. 345 ann. 22.) Ceterum *errant* non *errans* esse scribendum docet quaedam mira Sacerdotis proprietas, de qua § 6 capitis VIII plura dicemus. —

## 5.

**RUFINUS DE METRIS COMICIS** § 24 p. 38<sup>5</sup>/<sub>7</sub> G. 271<sup>1</sup>/<sub>2</sub> P. *Iuba* in libro quarto sic dicit: „Iambicorum itaque exempla, quae maxime sunt frequentata, subdidi:

1. Πάτερ Ανκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε;
2. Λαναός ὁ πενήκοντα θυγατέρων πατήρ.
3. Ξανθῆ παλαιῆ γρηῖ πολλῆσιν φίλῃ.
4. Οἶδ' ὑπὸ γὰρ ὑμῶν παρετάθη καὶ Περικλέους.
5. Ἰμάτιον ἐφόρει μαλακὸν ἐρίων Σικελικῶν.
6. Τὸ δὲ προσκεφάλαιον φησὶν ἄμα σοὶ βούλομαι.
7. Uidere non uult Caelium Panaecius.
8. Misera marino quae . . . tumida litore.
9. Uallis per imas amne labens caerulo.
10. Arniger in Ida pede uago litora petens.
11. Caerula non aliter superans liquida malaciae.
12. Παρὰ σοφοῦ μαθὲ κλύων ὅσα τις ἄν καταμάθοι.
13. Rape faces, cape puer, sopor abit, cane melos.“

§ 25. In alio loco sic: „Iambicum metrum non ex solis iambis conscribitur, sed quinque suscipit pedes, id est iambum tribrachum anapaestum dactylum et spondeum, hoc est iambum et spondeum et solutiones eorum, scilicet ex iambi solutione tribrachum (nam si sequentem longam syllabam in duas breues soluas, fiet de iambo tribrachus), spondei autem solutiones duas, dactylum et anapaestum. nam si prior syllaba spondei soluat in duas breues, fiet anapaestus, si uero secunda, fiet dactylus. Unde datur intellegi iambica metra de iambo et spondeo fieri et de eorum solutionibus.“ § 26. „De choliambo sic: „Est autem proceritas eiusdem uersus, qui unius pedis differentia nomen amittit. nam quod sexto loco, qui locus par est, non iambus, sed spondeus uel trochaens, accipitur et a longa incipit syllaba, claudum carmen facit et choliambicum nominatur, ut est

Ἦ Κλαζομένοι Βούπαλος κατέκτισεν.

Ἀκούσατ' Ἰππώνακτος· οὐ γὰρ ἄλλ' ἤκω.

O quae tenerulae comparis tenes crinem.

Sudes in ista Ueīa latent fossa.

§ 27. Quod autem binis pedibus et non singulis scanditur uetus institutum est. quippe Herodotus, antiquus historiae auctor, cum de heroico diceret uersu, quem singulis partiri pedibus moris est, ita dixit: *καὶ σπὴν ἠπίθονα φήσω ἄλυσιν.* unde apparet heroicum singulis pedibus scandi etiam apud ueteres solitum, iambicum autem binis. idem autem ait cum de Archilochio Pario refert qui Gyrgae fabulam optime complexus est ita *Γύργω αὐτοῦ καὶ Ἀρχίλοχος Πάριος κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονώς ἐπέμνησεν λάμβφ τριμέτρφ.* meminit autem uersus eius quem applicui: *οὔμοι τὰ Γύργω πολυχρύσον μέλει.* § 28. „Et hactenus de catalectico trimetro dictum. de octometro Boiscio idem sic dicit: „Octometrum catalecticum quod appellatur Boiscium,

*Βοῖσκος ὁ ἀπὸ Κυζικοῦ παντὸς γραφῆς ποιήματος τὸν ὀκτάπουν εὐρῶν στίχον Φοίβφ τίθεισι δῶρον.*

Boiscus iste Cyzico noui reperit carminis. nam prius uersum octonum pedum deo dicauerat.“

Fauca quae ad haec addam habeo: ordinem si respexeris, quo posita Iubae uides esse uerba, uix dubium uidebitur quin suo arbitrio Rufinus e libro quarto ea excerpserit excerptaque nulla ordinis ratione habita quo sese apud Iubam exciperent, proposuerit. qui nullo modo poterat exempla iambici uersus afferre natura eius nondum monstrata. sed nos eum, quem Rufinus constituit, ordinem secuti per singulas paragraphos quae nobis annotanda uidentur proponemus. § 26. Schema metricum exemplorum a Iuba adhibitorum est tale:

1.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ
2.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ
3.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ
4.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ
5.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ
6.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ
7.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ
8.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ
9.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ
10.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ
11.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ
12.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ
13.	υ υ υ υ		υ υ υ υ		υ υ υ υ

Exempla graeca, quae Iuba attulit, ut qui esset apud poetas graecos iambicorum uersum usus demonstraret, prioribus duobus exceptis, quorum alter Archilochi notissimus uersus est et ab schol. Heph. p. 28 et a Sacerdote 4. § 2 p. 268 G. 2641 P. laudatur, alter autem e tragico quodam uidetur petitus esse, maximam partem indolem comicae poeseos prae se ferunt et haud scio an ad Cratinum sicut referenda, cuius uersus et ab Heliodoro (cf. Heph. I. 3. p. 16 aun. D'Oruillii) et a Iuba (cf. frgm. 9) adhibebantur. quae restant exempla latina utrum a poetis facta an a Iuba ipso ficta sint prorsus incertum est. quorum ad tertium alterum Fortunatianum c. 10. § 3 p. 343 G. 2693 P. et Sernium in Centimetro 1. § 1. p. 366 G. 1818 P. respexisse apparet scribentem haec: „Aristophanium constat monometro hypercatalecto, ut est hoc *Ualles per imaz.*“ — uersum octanum non nihil aegrotantem optime posse attolli quarto pede breui syllaba intrusa intellegatur ex eo, quod in quarto pede secundi graeci exempli, quod nostro simillimum est, tribrachys admissus est et quod apud Priscianum (cf. fragmentum 6) Iuba studiosissimus esse dicitur paribus locis iambicorum pedum, qui a breui incipiunt, admittendorum. alioquin scripserim *tum timida* uestigia secutus codicis Uossian. 33. sec. XI. exarati (cuius uarias lectiones in hunc Iubae locum liberaliter mecum communicauit H. Keilius, uir humanissimus) ubi *tumida* correctum est in *timida*, quae lectio in Reginensi uro. 733 ab eodem Keilio mihi oblato aperte legitur. iidem codices nos docent *in litore* esse scribendum. — uersus undecimus si uelis ut totus e dactylis constet, necesse est legatur *liquidum malacium.* § 25. Iubam errore duci, qui dactylos et anapaestos iambicorum uersuum solutiones spondei esse existimaret neque perspectum haberet illos pedes, ut ita dicam, cyclice esse metiendos eosque totidem temporum esse capaces, quot iambos ipsos nuperrime a Rossbachio et Westphalo (Metr. p. 142) expositum est. hunc Iubae locum ad uerbum descripsit Mar. Uict. II. 4. § 9 p. 107 G. 2525 P. unde intellegi datur<sup>4</sup> (hunc uerborum ordinem codd. Uoss. et Regin. exhibent) iambica metra ex iambo et spondeo et eorum solutione subsistere. nam ex iambo tribrachus, ex spondeo autem soluto dactylus et anapaestus creantur.<sup>4</sup> § 26. Prima huius § uerba nullam probabilem sententiam praebentia nescio an ad intellegendam aptiora efficiantur, si scripseris *protenuitas*, ut Iuba dixisse putandus sit, quam trimetrum lasciuiae atque cauillationis speciem eandem uersus choliam-bicos ostendere, qui eo, quod ultimo loco spondeum uel trochaeum assumunt, trimetri desinunt uocari. cf. Mar. Uict. l. c. § 7. Mall. Theod. 5. § 18. — § 28. Scribendum est pro uolgato *catactectico* ad cod. Uoss. *acatactectico*. De metro Boiscio cf. Mar. Uict. II. 4. §. 30 p. 111. G. 2528 P. et fragm. 8. —

## 6.

PRISCIANUS DE METR. COM. § 8 p. 412 G. 1321 P. „Iuba ideo in secundo et quarto et sexto loco iambos non rece-

pit nisi a breui incipientes, quia in his locis feriuntur per coniugationem pedestrium metrorum et uult extrema pars iambicorum celerior esse, quomodo et ipsi iambi.<sup>4</sup>

Priscianus quid haec scribens cogitanerit nix aliter quam omnibus grammaticorum de iambico trimetro sententiis cognitis poterit quodammodo enodari. cf. Fortun. 10. § 3 p. 342 G. 2692—3 P. Inc. auct. frgm. de uersu iambico apud Endl. in Anal. gr. p. 521. Terent. u. 2228. Sacerd. 4. § 4 p. 268 G. 2641 P. Mar. Uict. II. 4. § 10 p. 107 G. 2525 P. id III. 11. § 2 p. 167 G. 2570 P. Diom. III. 26. § 4 p. 479 G. 503 P. — Sensus huius impeditissimi et, ut opinor, perdigni loci qui accuratiore quaestione illustretur mihi uidetur esse hic: Iuba traditur in locis paribus nullos iamb(icos) (pedes) admisisse, nisi qui a breui inciperent, id est iambum ipsum tribrachim anapaestum (cf. Sac. Mar. Uict. Inc. auct.) ea quidem causa ductus, quod his pedibus dipodia melius feritar i. e. finitur quam dactylicis, qui iambici uersus naturam minus reseruant integram. unde apparet cuiusque dipodiae partem extremam i. e. locum secundum quartum et sextum (cf. Sac. l. c.), qui cum iambis aut ipsis aut iambicis pedibus, qui a breui incipient, sint destinati, ne locitatis speciem prae se ferre ideoque celerius posse pronuciari (cf. Sac. l. c.) quam priorem partem, ubi dactylici pedes regnent, qui habent quiddam altum et sonorum (Terent. l. c.). Ergo efficitur hoc iambici trimetri schema:

$$= \overset{\cdot}{\equiv} \overset{\cdot}{\equiv} \quad \overset{\cdot}{\equiv} \overset{\cdot}{\equiv} \quad | \quad = \overset{\cdot}{\equiv} \overset{\cdot}{\equiv} \quad \overset{\cdot}{\equiv} \overset{\cdot}{\equiv} \quad | \quad = \overset{\cdot}{\equiv} \overset{\cdot}{\equiv} \quad \overset{\cdot}{\equiv}$$

## 7.

**PRISCIANUS DE METR. COM.** § 9 p. 413 G. 1322 P. „Attende *Iubam* quoque scire inueniri quosdam iambos, in quibus secundus et quartus pes absque obseruatione ponitur, quos cacometros uocant. idem in VIII: „Qui ergo confuderunt et multipliciter coniugauerunt hoc genus uersuum, omnibus in locis indifferenter trochaeos aut pro spondeis aut pro dactylo posuerunt: et est haec quoque uitiosa confusio, ut

Si qua flagella iugabis ante putare decet,

Ne resoluta et uidua ulmis et ornis

Agri discidium dare Nysia rura queant.“

Duas diuersissimas res hoc nobis tradit fragmento Priscianus, unam quod *Iubam* non fugit iambicos uersus extare, in quibus locus par lege non custodita dactylis et spondeis occupatur, (cuius generis sunt uersus ultimi tres, quos Rufinus exempli gratia posuit), alteram quod a quibusdam metro iambico trochaei inserebantur, quibus quae nitiosa gigneretur

coniunctio, ut appareret, ipse uidetur Septimii Sereni e Terentiano (n. 2001) nobis notos uersus

*Quando flagella iugus, ita iuga,*

*Uitis et ulmus uti simul cant*

transfigurasse transfigurataque in hoc insigne schema coegisse:

- ~ - ~		- ~ - ~		~ ~
- ~ ~ -		- ~ ~ -		~ ~
- - ~ ~		~ ~ - ~		~ ~

De trochaeis iambico metro immixtis cf. Terent. M. u. 2213 Mar. Uict. II. 4. §§ 13. 14 p. 108 G. 2526 P. Restat ut me suspicari commemorem pro VIII. scribendum esse III. i. e. libro, ut id fragmentum ex eodem, quo prius a Rufino traditam libro uideatur sumtum esse. nam cum Ritschelio de pede non esse cogitandum inde patet, quod in antecedentibus nulla mentio iambicorum tetrametrorum nel pentametrorum iniecta est.

## 8.

**INCERTUS AUCTOR FRAGM. DE UERSU IAMBICO** apud Endlicherum in Anall. gramm. p. 521. „Iambicum metrum a monometro hypercatalecto usque in octametrum acatalectum *Iuba* teste procedit.“

Uerbis, quae sequuntur, Iubae doctrinam magnam partem contineri Rufini Priscianique fragmentis comparatis facile cognosces.

## 9.

**MALLIUS THEODORUS 6. § 5.** „Fit etiam trochaicum metrum, ita ut in eo adsiduum tribrachys obtineat locum, ut est illud apud *Iubam*

Qualis aquila cita celeribus auida pinnis transuolat.“

~ ~ ~   ~ ~ ~   ~ ~ - ~		~ ~ -
-------------------------	--	-------

Hunc uersum o Cratino latine redditum esse a Iuba docet fragm. de uersibus § 9 p. 518 Endl. de quo mox infra uidebimus cf. Heusing. ann. in h. l.

## 10.

**MARIUS VICTORINUS II. 7 § 3 p. 118 G. 2534 P.** „Coniugatio antispasti, ut *Iuba* noster atque alii Graecorum opinionem secuti referunt, non semper ita perseuerat, ut in principio pedis iambus collocetur.“

Antispastus constat ex iambo et trochaeo inter se copulatis. quod cum suas quisque pes induere possit formas apparet cur dici potnerit iambum in principio non semper locum habere. cf. Gaisf. ad Heph. p. 299 ann. Mall. Theod. 9. § 7.

## 11.

**MARIUS VICTORINUS** II. 9. § 8 p. 127 G. 2541 P. ‚At *Iuba* noster, qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit insistens Heliodori uestigiis, qui inter Graecos huiusce artis antistes aut primus aut solus est, negat hoc uitium, ut quidam asserunt, rhythmicum fore, sed mage metrica ratione contingere, quod per *ἐπιπλοκάς* i. e. metrorum inter se amplexiones plerumque euenit.‘

De quo fragmento quae dicenda erant iam a Rossbachio et Westphalo (Metr. 296) dicta sunt.

## 12.

**MALLIUS THEODORUS** 10 § 1. ‚Metrum Ionicum a maiore constat ex Ionicis maioribus duobus et spondeo uel trochaeo, ut est illud apud *Iubam*

Ipsa est Chios, ipsa est Samothrace.‘

Iam uero recensitis singulis fragmentis, quae aperte ad *Iubam* auctorem sunt refereuda, restaret, ut aliud quoddam hucusque nullius grammatici nomini addictum eoque omnium uostrorum longe luculentissimum, quod DE UERSIBUS inscriptum primum ab editoribus Analectorum grammaticorum Uindobouensibus<sup>1)</sup> publici iuris factum est, in illorum numerum esse recipiendum plena et perfecta argumentatione demonstrarem, si plus mihi ocii concederetur quam quo nunc uti mihi licet. quod cum mihi desit, nihil aliud, nisi strictim ostendam noni illius fragmenti, quo trochaicum metrum integrum et dactylici permagna pars ita tractatur, ut graecam, qua fuerit *Iuba*, eruditionem facillime possimus recognoscere, indolem totam prorsus eandem esse, quae est in reliquis quae nouimus fragmentis. ueluti, ut exemplum afferam, quam definitionem metri trochaici in nouo fragmento propositam uides<sup>2)</sup>, in-

<sup>1)</sup> Anall. gramm. p. 516—520: ‚De uersibus incipit.‘ E codice olim Bobiensi nunc Uindobouensi No. XVI. saec. VIII.

<sup>2)</sup> p. 516 § 3. ‚de metro trochaico. Trochaicnm metrum e quinque pedibus constat: trochaeo spondeo tribrachi anapaesto dactylo. Ex his in imparibus locis non uisi hi, qui in breui finiuntur, in paribus uniuersi indifferenter ponuntur.‘

fitiss ire non poteris eam esse ab eodem scriptam, qui apud Rufinum metri iambici naturam exposuit. huc accedit, quod ille uersus, cuius paulo ante mentionem feci *Qualis aquila* etc., quem Mallius apud Iubam extare affirmat, reuera in illo fragmento comparat<sup>1)</sup>. ac quam mutationem et in hoc<sup>2)</sup> et in Prisciani fragmento Septimii Sereni uersus *Quando flagella iugas* passus est, qui in utroque loco *Si qua flagella* etc. legitur, manifestum est eam uix posse eredi a diuersis auctoribus profectam esse. denique quod is Fortunatianus, quem Lachmannus diuersum ab Atilio Fortunatiano dixit, et Marius Uietorinus, quem duobus locis nominatim Iubam appellasse uidimus, magnam fragmenti partem satis fideliter expresserunt, ex eo cerni licet non nihil fidei esse coniecturae nostrae faciendum, quam prope a uero abesse speramus mox alio loco fusius atque uberius fore ut demonstrare possimus.

#### VII. TERENTIANUS MAURUS.

*Lachmann*, Terentiani Mauri de literis syllabis et metris liber. Berol. 1836.

Quanquam inter diuersissimas de hoc grammatico prölatas sententias dubitatione diu fluctuabam, nunc tamen in iis, quae Lachmannus de eius aetate et fontibus disputauit, acquiescendum iuxta, quae quo diutius acriusue perserutere, eo admirabilius dicta tibi uidentur, ut uix assequaris, quomodo factum sit, ut ille insignis a Lachmanno tam magnifice castigatus error etiam nunc uiuere Terentianumque Traiani fuisse aequalem putari posset. —

#### VIII. SACERDOS.

*Endlicher*, Analecta gramm. Uindob. 1837 pp. I—V.

*Omann*, beitraege zur griech. u. roem. litteraturgesch. II. p. 299 seqq.

§ 1. Primus qui de hoc grammatico quaestionem instituit Endlicherus recti iam magnam partem uidit. is enim de Claudio Sacerdote disputans, cuius *artium grammaticarum* libros duos primus e codice uetustissimo Uindobonensi<sup>3)</sup> edidit, motus grauis-

<sup>1)</sup> p. 518 § 9.

<sup>2)</sup> p. 519 § 16 cf. frgm. 7.

<sup>3)</sup> Hic cod. Uindob. sign. Nr. XVI. Sec. VIII. olim Bobii in coenobio sancti Columbani asseruabatur.

simo Marii Plotii testimonio<sup>1)</sup>, quo se iam duos libros, alterum ,de institutis artis grammaticae,' alterum ,de nominum uerborumque ratione nec non de structurarum compositionibus breuiter exprimendis' scripsisse tradit, cum animaduertisset eundem esse titulum duorum grammaticorum a Claudio Sacerdote compositorum librorum, in se suspicionem natam esse dixit Claudii Sacerdotis libros et artem metricam, quae uolgo Marii Plotii esse fertur, unius eiusdemque auctoris diuersis praenominibus foetum esse.<sup>4</sup> hoc Endlicherus, qui quod quaestionem, quam prospere instituere coepit, non absolutam dimisit, uehementer est dolendum. et id quidem maxime ob eam causam, quod studio atque opera Osanni, qui partes eius suscepit, sed satis tueri nesciuit, tantum abfuit, ut Sacerdoti grammatico obscuro lux afferretur, ut densioribus is offunderetur tenebris. nam quae argumenta ad sententiam probandam attulit omni carent auctoritate, ut iis cuiquam posse persuaderi uix sit credibile. Sed ne falso criminis aliquid uideamur confinxisse Osanno, eum quoque iuerit sequi omnesque labores itineris maximis difficultatibus obstructi aequo animo nos exanclare oportet. Ac primum quidem sibi persuadere non potuit Osannus artem grammaticam et metricam uno eodemque tempore ortam esse; Plotianam enim ductus non nullorum Romanorum nobilium nominibus propriis, quae in praefatione leguntur, non posse nisi ineunte seculo p. Chr. n. tertio scriptam, alteram uero Claudianam, et quod Probum grammaticum ad uerbum expressisset et quod in ea iam copiose de casu septimo dissereretur, quem in grammaticam latinam primus introduxisset Donatus, Probo iam mortuo i. e. seculo quinto confectam esse sibi concludendum putauit. itaque erit nidendum siue consensus, qui inter utrumque grammaticum intercedit, talis, ut certo nobis persuasum sit Claudium Sacerdotem e Probo hortulos suos irrigasse. qua in re diiudicanda recte monentibus Lindemanno<sup>2)</sup> Endlichero<sup>3)</sup> Osanno<sup>4)</sup> Lehrschio<sup>5)</sup> illum antiquum haud dubie ad Neronis tempora referendum grammaticum Ualerium Probum Berytium, non contemnen-

<sup>1)</sup> Plot. Sac. praef. p. 242 G. 2623 P.

<sup>2)</sup> Lindem. Corp. gr. I. p. 39.

<sup>3)</sup> Endlicher Anal. gr. pp. XII. XIII.

<sup>4)</sup> Osannus, beitr. p. 172.

<sup>5)</sup> Lehrschius diar. stud. antiq. 1840, p. 111.

dum ut uideatur antiqui sermonis observatorem<sup>1)</sup>, cuius doctrinae pauca a Gellio<sup>2)</sup> asseruata hodie extant monumenta, omittamus et potius ad Probum multo recentioris aetatis grammaticum nos conuertamus, cuius uomen multa prae se ferunt scripta grammatica<sup>3)</sup>. e quorum numero tantum institutionum grammaticarum liber secundus in hanc disputationem est uocandus. nam quod Osannus dixit inter Artem quoque miuorem et Claudii Sacerdotis artes grammaticas aliquam posse cerni similitudinem, leuiter lapsus est. quae enim ad demonstrandam similitudinem promisit exempla in quouis grammatico reperire poterat<sup>4)</sup>. itaque nihil aliud restat nisi ut cum Probi Catholicis (is est enim titulus institutionum grammaticarum libri secundi) Sacerdotis librum secundum conferamus. et tantus quidem inter utrumque scriptorem consensus est, ut unum ex altero descriptum esse pro certo statuere debeamus. quaeritur tantum uter ab altero compilatus sit, Probus a Sacerdote an Sacerdos a Probo.

§ 2. Fit enim in libro secundo aliquotiens, ut uterque grammaticus ad id, quod iam in libro primo dixerit, nos releget. quorum locorum est haec conditio, ut in Probo, cuius liber integer ad nos peruenit, eorum nihil, quae quaesieris, inuenias neque (si aequi uolumus esse) inuenire possis, cum id agat auctor, ut per octo orationis partes quae sit ultimarum syllabarum quantitas demonstret. De Claudio autem Sacerdote certi quid statuere possemus, si liber integer neque inuidia fati lacunosus dimidiatusque extaret, ut ad coniecturas quanquam fortasse probandas nobis esset confugiendum. de uno loco uix est quod dubitem (utinam ne alii dubitent!). Apud Claudium Sacerdotem uerba leguntur

<sup>1)</sup> Sueton. de ill. gr. c. 24.

<sup>2)</sup> Gellius I. 15, 18. III. 1, 5. IIII. 7. VI. 7, 3, 9, 11. VIII. 9, 12. XIII. 21. XV. 30, 4. XVII. 9, 5.

<sup>3)</sup> Endl. l. c. XIII. XIIIII. Osann. 252 sqq.

<sup>4)</sup> Qui omnem grammaticorum latiuorum cohortem quamuis obiter perlegerint facile intellegent quasdam definitiones eorum omnium esse communes. itaque neminem fore puto ut miratio incedat eadem quae habet Sacerdos de participio et aduerbio etiam in Probi Arte minori legi, cum reliqui artigraphi iisdem fere uerbis in his ipsis orationis partibus definiendis utantur, uelut Don. II. 14, 1. p. 22. L. 1761 P. 15. 1. p. 23 L. 1763 P. Max. Uict. ars gr. § 23 p. 282 L. 1951 P. — Asp. 9, 1 p. 314 L. 1733 P. Char. II. 13, 1 p. 105 L. p. 159 P. 15. § 1. 133 L. 198 P.

haec <sup>1)</sup>: ‚Imperatiuus modus passiuuitatis ‚RE‘ syllaba addita imperatiuo actiuuitatis fiet similis, ut *amare scribere munire*. de hac tamen ratione et de modo infinito plenius in Institutis Artium id est libro primo docuimus.‘ Huic loco omnis sensus experti, qui aliquid flagitare uidetur cui similis imperatiuus passiuus ‚RE‘ syllaba addita fiat, optimam medelam affert libri primi locus, quem auctor haud dubie in mente habuit <sup>2)</sup>: ‚omnis coniugationis uerborum passiuorum modus imperatiuus similis est infinito actiuorum, ut *amare docere scribere munire*.‘ Itaque ante uocabulum *fet* uerba excidisse puto haec: *infinito actiuorum*, quae necessario huc pertinere ex eo apparet, quod Sacerdos infiniti modi actiuorum sine ulla mora mentionem facit, quam inicere non potuisset, nisi iam in antecedentibus sermo de eo fuisset <sup>3)</sup>. — Reliqui huius generis loci sunt ita comparati, ut quae conferre in libro secundo iubemur, in ea libri primi parte, quam amissam esse nunc dolemus, extitisse non sine ueritatis specie coniciendum sit. uelut <sup>4)</sup> pedes reuera esse in libro primo a Sacerdote enumeratos cum e more grammaticorum, quem Donatus <sup>5)</sup> quoque secutus est, tum e testimonio Plotii <sup>6)</sup> intellegere potes, quem spero me demonstraturum esse eundem atque Claudium Sacerdotem. illum enim trisyllaborum pedum exempla in tertio libro ponere taednit, cum ea iam libro primo attulisset. in Probi autem libro primo frustra quaesiueris pedum recensionem. Cui simillimus est locus tertius <sup>7)</sup>: ‚nam ‚K‘ littera non scribitur, nisi ante ‚A‘ litteram in principiis nominum uel uerborum . . . sicut in Institutis Artium hoc est in primo libro monstraui.‘ Iam ex iis, quae supra attulimus, cum de fragmento primo Iubae non nulla diceremus, cognoscetur nullo modo potuisse Claudium Sacerdotem huic ab omnibus grammaticis commemoratae rei in Arte sua denegare locum. — Eundem libri

<sup>1)</sup> Cl. Sac. II. 182.

<sup>2)</sup> id. I. § 41.

<sup>3)</sup> In Probi (II. 3 § 16 p. 143 L. 1488 P.) loco, quod uocabulum *similis* ommissa est, iam mihi indicium uidetur esse corruptelae, quae saepe in Probi libris reperitur. ut infra ostendam.

<sup>4)</sup> Cl. Sac. II. 184. Pr. II. 4. 1. p. 143 L. 1489 P.

<sup>5)</sup> Don. I. 2. § 3 p. 6 L. 1737 P.

<sup>6)</sup> Plot. Sac. I. 10. p. 245 G. 2625 P.

<sup>7)</sup> Cl. Sac. II. 169. Pr. II. 3. § 12 p. 142 L. 1486 P.

primi locum respexisse auctor uidetur scribens haec<sup>1)</sup>: ‚K· hac littera nullum nomen terminatur ratione in libro primo monstrata<sup>2)</sup>. Cum igitur intellexerimus quae in priori libro, quem integrum aetatem tulisse iam supra indicatum est, Probus conferri iubet, eorum nullum ac ne minimum quidem uestigium cerni posse, contra in libro primo Claudii Sacerdotis, qui mutilato statu ad nos peruenit, tale quid extitisse, ad quod lectoris animum non sine aliqua iuris specie potuerit reicere, non difficile fore puto cognitu utri sit plustribuendum fidei Sacerdoti an Probo. qui omnino non dubitat tribus locis<sup>3)</sup> Sacerdotis nomine uti, ut paradigma proponeret. quo certe quemadmodum opinor usus non fuisset, nisi id in Sacerdote, quem nomine suo ludere solere mox dicemus, repperisset. Accedit quod Claudium Sacerdotem et exemplorum et praeceptorum grammaticorum copia Probo multo abundantiore deprehendere potes. nam praeter illum locum<sup>4)</sup>, quo monstraturus duas esse declinationes nominum ‚NAS· syllaba terminatorum, unam genetiui casu ‚NAE·, alteram ‚TIS· facientem, insigne exemplum haud dubie e Quintiliano<sup>5)</sup> petitum *Asprenas Asprenatis* affert, quod prorsus deest in Probi parallelo loco<sup>6)</sup>, nonnulli loci extant, quibus quid Sacerdotis sit proprium infra notauimus<sup>7)</sup>.

1) Cl. Sac. II. § 8.

2) In Probi loco (II. 1. § 18 p. 107 L. 1417 P.) extrema uerba: *ratione — monstrata* ommissa sunt.

3) Prob. II. 1. § 7 p. 102 L. 1442 P. ibid. § 59 p. 134 L. 1477 P. § 42 p. 122 L. 1464 P. — Sac. II. §§ 81—86.

4) Cl. Sac. II. § 19.

5) Quint. I. 5. § 62, nam si ut *Maccenas Sufenas Asprenas* dicerentur, genetiui casu non ‚E· littera sed ‚TIS· syllaba terminarentur.<sup>4</sup>

6) Pr. II. 1. § 47 p. 126 L. 1468 P.

7) Cl. Sac. II. § 11 (Pr. II. 1. § 20 p. 108 L. 1448 P.) hoc tamen scire debemus, quod ‚N· littera terminatum nomen solius generis feminini non potest reperiri. — ibid. §§ 42, 43. (Pr. ibid. § 50 p. 129 L. 1472 P.) *Purim crent — iudicium Puridis. ἦρος ἦρος herois.* — ibid. § 51 (Pr. ibid. § 52 p. 130 L. 1474 P.) *en cor Zenodoti, en* (cf. Suet. de ill. gr. c. 11). — ibid. §§ 101, 102 (Pr. II. 3. § 3 p. 136 L. 1480 P.). ‚I· hanc litteram ante ‚O· habens uerbum aut primae est declinationis aut tertiae utriusque. Si primae ‚AUI· facit, tempore perfecto *lanio lanius lanuui.* si tertiae correptae ‚UI· separatis *rapio rapui, aut ‚PI· capio cepi.* si tertiae productae ant ‚UI· iuncta aut duas ‚I· ut *munio munui* uel *munii.* ‚U· hanc litteram

§ 3. Sed haec hactenus. Iam eo disputationem produximus, ut abiecta Osanni de Sacerdote Probi spoliatore sententia ad alterum argumentum ab eo allatum transiremus, nisi timor nos teneret, ne non sine ira et studio iudicasse uideremur. quorum causas cum procul habeamus rati alteram quoque partem esse audiendam et quae Probus propria habeat et num ea reuera ita sint comparata, ut sententiam nostram funditus euertant, erit ante omnia uidendum. Ut breuiter dicam quod sentio, e collatis inter se grammaticis hanc concepi animo sententiam multa quanquam apud Probum extant, quorum notitia plane fugit Sacerdotem, eorum fere nihil esse, quod in Sacerdote abesse doleas. nam paucis e latinis poetis haud illepide petitis uersiculis exceptis <sup>1)</sup> reliqua additamentorum pars prodit hominem quamquam non indocte tamen peruerse in eo uersantem, ut aut eandem rem bis tractet <sup>2)</sup> aut praeter

---

separatam ante ·O· habens uerbum aut primae est coniugationis aut tertiae correptae. Si primae fuerint ·AUI· facient tempore perfecto, *fluctuo fluctuanti*. si tertiae correptae, separatis ·UI· ut *ruo rui unguo ungui*, si antiquae dicimus *ungo ungi unxi*. — id. II. 110. (Pr. II. 3, 4. p. 136 L. 1481 P.) et *spicula lucida (tergunt) — qua menses detergeo*. — id. II. 129. (Pr. II. 3. § 6 p. 138 L. 1482 P.) ;·G· ante ·IO· habens uerbum tale inueni, facit enim *fugio fugis*, quod est tertiae correptae, cum in imperatiui modi secunda persona *fuge* facit, ut Vergilius: *Heu fuge crudelis terrus!* Probi autem se tale uerbum non inuenisse contentis oculi antecedentium uerborum ·E· ante ·IO· non inuenit similitudine decepti facile aberrare et ad sequentia ·H· ante ·IO· habentia uerba<sup>4</sup> e. q. s. festinare poterant.

<sup>1)</sup> cf. Pr. II. p. 130 L. 1473 P. (Sac. § 46) *infelicis Ulyxi* (Verg. Aen. III. 613). — p. 142 L. 1487 P. (Sac. § 177) *Persius (VI, 10) postquam destertuit esse*. — p. 139 L. 1483 P. (Sac. § 138) *carne genetricis* (Verg. Aen. I. 689). — p. 131 L. 1474 P. (Sac. § 54) *Terentius (Ad. I. l. 38) uestitu nimio indulget*. — p. 132 L. 1476 P. (Sac. § 71) *Vergilius (Aen. III. 215) Bachatamque iugis Nazon*. — p. 132 L. 1477 P. (Sac. § 78) *Terentius (Phorm. III. 3, 61) suppellectile opus est*. — huc pertinent bene allata paradigmata uelut p. 126 L. 1469 P. (Sac. § 20) *Noraeus*. — p. 138 L. p. 1483 P. (Sac. § 132) *salio salis salini uel salii; munio munini uel muni*.

<sup>2)</sup> Pr. p. 128 L. 1470 P. (Sac. § 31) *omnia declinationis tertiae; haec sinapis huius sinapis*. sicut Plautus in Pseudulo (III. 2, 28) *Alii melins genere neutro indeclinabile hoc sinapi huius sinapi sicut hoc gummi*. Eadem fere leguntur iam p. 107 L. 1446—7 P. (Sac. § 7) *et duo generis neutri numero tantum modo singulari hoc gummi hoc sinapi*, quamuis Plautus in Pseudulo *haec sinapis* declinauerit. — Pr. p. 129 L. 1472 P.

necessitatem dicta cumulet<sup>1)</sup>) aut inepta ab omni ratione latinitatis prorsus aliena tradat<sup>2)</sup>). quid quod quater e Uarrone hausta affert,

(Sac. § 41) ,ergo omnia ·RES· terminata siue producta sine correpta tertiae sunt declinationis excepto uno monosyllabo quintae declinationis *res rei*.<sup>4</sup> paulo ante legitur ,exceptis duobus, uno monosyllabo quintae declinationis, ·E· in genetivo correpta *res rei*.<sup>4</sup> — p. 131 L. 1474 P. (Sac. § 54) ,qui ablatius (nestitu) e genetivo uenit ·TUS· syllaba terminato. nam participium *hic uestitus huius uestiti*; facit enim aliud ex se genus.<sup>4</sup> haec repetita sunt ex iis, quae paulo ante praegressa sunt. —

<sup>1)</sup> Probus formulas quasdam, quibus perraro Sacerdotem usum uidebat, (II. §§ 2, 4), et quibus ipse nimium quantum gaudebat, non dubitabat, quotiescunque potestas data est, uerbis suis intrudere; uelut ,inuentor doceat rationem<sup>4</sup> septies quanquam mutata forma apud Probum inuenitur. deinde decies coniugationem tertiam productam quartam quoque appellari commemorat. Quibus adde: p. 107 L. 1447 P. (Sac. § 9.) ,Tanaquil enim uxor fuit Tarquini Prisci; appellatiuum quidem est, sed pro proprio habetur.<sup>4</sup> — p. 127 L. 1470 P. (Sac. § 26) ,et si qua talia.<sup>4</sup> — p. 128 L. 1470 P. (Sac. § 32) quamuis multi *haec neptis* dicant, non *haec nepos*.<sup>4</sup> — p. 128 L. 1471 P. (Sac. § 33) ,quamuis *hic domus Oedipodes* lectum est.<sup>4</sup> uocem *domus* perperam a Probo additam esse (cf. ann. Lind.) docet Sac. apud quem haec leguntur *hic Oedipodis*, pro quibus legatur uelim *hic Oedipodes*, grammaticus enim in eo est ut praeter nominatiuum ·PUS· syllaba terminatum alium quoque inueniri demonstrat. cf. Pr. p. 122 L. 1463 P. ,legi *hic Oedipodes et huius Oedipodae*.<sup>4</sup> — p. 129 L. 1472 P. (Sac. § 44) ,haec tamen (sc. nomina ·RUS· syllaba terminata ut *Tartarus Tarturi Gurgurus Gurguri*) numero singulari sunt masculina, pluraliter neutra ut *Mucennus Mucenata*.<sup>4</sup> — Similiter p. 127 L. 1470 P. (Sac. § 30) nominibus ·PES· syllaba terminatis intrusum est *nulles nullis*. — p. 132 L. 1476 P. (Sac. § 71) ,potest *haec Naxus huius Nari hanc Naxum* dici.<sup>4</sup> — p. 133 L. 1477 P. (Sac. § 78) ,unde ·X· littera (nominis *supellex*) superuacua est ut quibusdam placet.<sup>4</sup> cf. Charis. p. 25 L. p. 33 P. ,unde mihi uidetur non *supellex* sed *supellectilis* esse dicendum.<sup>4</sup> — p. 138 L. 1483 P. (Sac. § 131) ,uno ·I· inueni ·XI· faciens perfecto. Persius modo infinito (Sat. VI. 73?) ,*matronae immerere uoluae*.<sup>4</sup> mentionem nerbi *meio* perperam factam esse manifestum est, cum auctor de uerbis ·I· ante ·IO· habentibus agat. — p. 139 L. 1483 P. (Sac. § 139) Martialem affert testem *basio* uerbum specie perfecta *basiani* facere his uerbis ,sic Martialis.<sup>4</sup> cf. Lind. ann. — p. 139 L. 1483 P. (Sac. § 146) ,Persius tempore futuro posuit.<sup>4</sup> cf. Sac. § 121. — denique p. 141 L. 1486 P. (Sac. § 164) ant ·UI· ut *creresco crescis creui*.<sup>4</sup> hoc additamentum non necessarium esse docent sequentia: ,aut ·UI· *pasco pascis pui*.<sup>4</sup>

<sup>2)</sup> Pr. p. 128 L. 1470 P. (Sac. § 30) numero singulari non *anceps* sed *aucupes* dici debere demonstraturus est ita: ,excepto uno quod ·PIS· facit non ·TIS·. nam qui *anceps* declinat errat. omnia ·CEPS· terminata ·TIS· faciunt genetivo *pruereps praecepitis anceps ancipitis*. praeterea nominatiuo

cuius tam rustice insciteque mentionem facit, ut te facile ad eam sententiam adduci patiaris, ut ab eruditulo quodam homine ista Uarroniana addita esse existimes<sup>1)</sup>. hunc autem aut Probum ipsum uocatum esse eumque additamenti fortasse elatum non puduisse alieno operi imponere nomen suum aut se Probum grammaticum simulasse nomenque sibi alienum arripuisse estne ueri

plurali Terentius (Eun. II. 2. 36, sed cf. ann. Lind.) *uncupes* dixit: *pis-atores uncupes*; nam *uncupetes* dixisset nominatio plurali.<sup>4</sup> Cui Terentiano loco similimus locus potest addi Plautinus (Trin. II. 4, 7) *olitores myropolus uncupes*. — Perfectum *releui* non a uerbo *reliuo* sed a uerbo *releo* deriuat Pr. p. 141 L. 1486 P. (Sac. § 112) illud Terentii (Heaut. III. 1. 51) *releui dolia omnia* afferens, ut quae sit uerborum ·LEO· syllabis terminatorum species perfecta demonstrat. — Pr. p. 141 L. 1486 P. (Sac. § 167) alii (perfectum *pepigi*) praesentis, alii praeteriti aestimant.<sup>4</sup>

<sup>1)</sup> Loci Uarroniani sunt hi: p. 105 L. 1445 P. (Sac. § 3.) ‚quidam putant *hoc lacte* debere dici (Sac. l. c. lact. cf. Endl. nota), sed non legi nisi in Uarrone de lingua latina.‘ p. 132 L. 1475 P. (Sac. § 64) ‚UAS· terminata et ‚SIS· faciunt et ‚DIS· *hoc uis huius uasis*, utrumque Uarro ait de lingua latina *hic uas, huius uasis*.‘ — ibid. p. 1476 P. (Sac. 66) ‚*haec uis huius uis*, sicut Terentius Uarro.‘ — p. 133 L. 1476 P. (Sac. § 76) ‚*caput capitis* et si quid ab eo nascitur *sinciput sincipitis*. Uarro posuit in Actia.‘ — Ac mihi in hos locos inquirenti statim offensio non lenis ex eo nata est, quod quae secundo et tertio loco posui fere eadem p. 119 L. 1461 P. sed nullo Uarronis nomine addito leguntur. ad hoc accedit, quod quae hodie Uarronis restant in iis nihil, ad quod bene nullaque ui adhibita possint referri Probi uerba, extat. in quo caueas uelim ne nimium Lindemanno tribuas. quos enim ille locos conferri habet nihil efficiunt: de lingua lat. VI. 7 p. 250 Sp.: ‚Uas appellatur, qui pro altero uadimonium promittebat. consuetudo erat, cum reus parum esset idoneus inceptis rebus, ut pro se alterum daret. a quo caneri postea lege coeptum est ab his qui praedia uenderent *uades re darent*. ab eo scribi coeptum in lege mancipiorum: *uadem ne noscerent nec dubitur*.‘ ibid. VII. 2 p. 396 Sp. ‚et recto et obliquo casu *uis*.‘ — *Lacte* forma usum esse in Andabatis Uarronem testante Lindemanno tradit Nonius p. 483. ‚candidum *lacte* e papilla cum fuit signum putant partuis, quod hic sequatur mulierem e partu liquor.‘ cf. Oehler, Uarr. sat. Menipp. reliqq. p. 96. Locis ab Endlichero p. 48. diligentissime collectis addas e Charisio (p. 57 L. 78 P.) illud Catonis: ‚Et in Italia atras capras album *lacte* habere.‘ — deinde magnam suspicionem facit Uarronis liber nondum nobis notus qui inscribitur *Actia*. nam enim Lindemanno de Aetiis quae Uarronem scripsisse, testis est Seruius (ad Uerg. Ecl. VIII 29), uix cogitandum est, cum Probus dicere deberet in *Actiis*. denique est ordo, quo grammatici uerbis innixa Uarroniana uides, talis, ut facere non possis quin ea posterius accessisse fateare.

simillimum? unde factum est, ut non nulli grammatici <sup>1)</sup>, quorum non erat scriptorum nomina iudicio examinare, institutionum grammaticarum librum secundum, qui est de catholicis nominum uerborumque, Probi nomini addicerent eum esse eundem atque illum Probum opinati, qui Arte scripta magnam sibi auctoritatem apud eos conciliauerat. hanc opinionem falsam esse recte iam docuit Lerschius <sup>2)</sup>, qui auctorem Artis <sup>3)</sup>, quam nescio quo pacto Endlicherus *minorem* uocauit <sup>4)</sup>, plane seiungendum esse demonstrauit ab institutionum grammaticarum scriptore, sed eo mihi uidetur is in reprehensionem non nullam incurrere, quod ne uerbo quidem commemorauit, quomodo factum sit, ut a recentioribus grammaticis Probus Catholicorum auctor putari posset.

§ 4. Nunc uero Probo spoliatore et interpolatore simulationis integumentis euoluto ac nudato cum iam nihil nobis sit uerendum, ne uincta nostra ipsi caedamus, Sacerdotem quoque non nullis additamentis inquinatum esse libentissimo animo monstrabimus. etsi dubitari potest utrum genetiuum molestum *angusti* <sup>5)</sup> e suo addiderit Sacerdos an alius quidam, tamen alter locus <sup>6)</sup> nihil

---

<sup>1)</sup> E locis ab Osanno p. 207 seqq. collatis huc nocandi sunt hi: Prisc. VI. 689. 707. 708. 711. X. 902 P. Cledon. p. 1901 P. Pompeius p. 155. 156 ed. Lindem. Praeterea cf. fragmentum de structuris seu de compositionibus pedum in Endlicheri Anal. gr. § 11 p. 508. Sed ut breuissime, ait Probus, de structuris delectantibus doceamus obseruandum est ne aut uersum heroici metri faciamus aut in natura longam syllabam penultimo nerbo terminato trisyllabo finiamus, caeteris paene omnibus auditors possumus delectare. Est autem structura uerborum compositio dicta a struendo id est componendo, unde structores compositores alicuius rei dicti. hae quamuis in omni oratione seruari debeant tamen maxime in nerbis duobus, nouissimo et penultimo sunt delectabiliter componendae. Quocum cf. Pr. II. 4 § 7 p. 146 L. 1493 P. ibid. § 1 p. 143 L. 1489 P. Sac. II. §§ 192. 184. 185.

<sup>2)</sup> Lerschius, diar. stud. antiq. 1843 Nr. 79.

<sup>3)</sup> Uixisse uidetur Probus artigraphus Firmiani Lactantii temporibus i. e. quarto seculo medio, quem ad Probum de metris comoediarum scripsisse Rufin. p. § 29 p. 387 G. 2712 P. tradit.

<sup>4)</sup> Codicis Parisini (7519 saec. XV.) inscriptio *Probi grammatici de octo orationis membris ars minor* nullius Endlichero (p. 229) debebat esse momenti.

<sup>5)</sup> Cl. Sac. II. § 54.

<sup>6)</sup> ibid. § 9.

habet dubitationis, qui eo dignissimus est memoratu, quod christianam manum interpolantem aperte prodit. quae quam infelicitate rem suam gesserit doceat locus ipse: res enim iam absoluta redintegratur. postquam enim Sacerdos nulla latina nomina ·L· littera terminata generis masculini uel feminini exceptis quattuor (*hic sol haec Tanaquil hic consul hic haec et hoc exul*) reperiri uel reperta dixit esse barbara, quorum exempla posuit *Hannibal Asdrubal* interiectis generis neutrius barbaris nominibus ·L· littera terminatis (*Muthul Suthul* oppidorum nomina<sup>1)</sup>), leguntur uerba haec: ,sunt item generis masculini ·L· littera nomina terminata *Samuel Daniel Isdrahel huius Samuelis Danielis Isdrahelis.*<sup>2)</sup> quae uerba cum nulla causa cur sint addita appareat, e textu remouere equidem non dubitauerim. tertius denique locus<sup>1)</sup> reperitur, ubi nominibus ·QUIS· syllaba terminatis genetiuum similem nominatiuum facientibus male iniectum est *sanguis sanguinis.*

§ 5. Horum nihil Osannus iam contentus similes locos inter se composuisse eosque arbitrio legentium permisisse. ad quem uirum refutandum quanquam non nescii eramus aliam uiam ingredi nos potuisse, tamen quo certiore reportaremus uictoriam, illius uiri uestigia persecuti eum quasi ipsius gladio ingulare malebamus. nam etsi uerum est, quod per Lerschium effectum est auctores institutionum grammaticarum et primi et secundi libri diuersos esse ab illo Probo, qui Artem scripserit, nolebam tamen hoc argumento uti aliquem posse existere prospiciens, qui Probo eos derogans ab alio artigrapho Sacerdote antiquiore profectos esse diceret, quod ne accideret, ita a me praecautum esse arbitror, ut non uexatus iam ad alterum argumentum ab Osanno propositum transeam. sed ne hoc quidem quod uoluerit esse assecutum uirum doctissimum omnibus rebus consideratis uidebimus. dicit enim ex eo, quod Sacerdos iam copiose aliorumque sententiarum habitatione de casu septimo, quem primus quod sciat inter latinos artigraphos Donatus tetigit, exposuit, quae aetas sit Sacerdoti tribuenda optime posse intellegi. in quo id monendum puto Donatum ipsum<sup>2)</sup> aliorum, qui casum septimum nouerint, mentionem facere uerbis his: *quidam* assumunt septimum casum qui est ablatiuo similis, sed sine praepositione *ab*, ut sit ablatiuus casus *ab*

<sup>1)</sup> Cl. Sac. II. § 11.

<sup>2)</sup> Don. II. 8. p. 14 L. 1749 P.

*oratore uenis*, septimus casus *oratore magistro utor*.<sup>1)</sup> inde haec inepta sententia per omnes fere grammaticos<sup>2)</sup> usque ad Priscianum diffusa est, qui ratione inani perspecta ita eam exagitat<sup>3)</sup>: illud quoque non est praetermittendum, quod quibusdam septimus casus esse uidetur ablatiuus, quando sine praepositione profertur, quod satis irrationabile uidetur.<sup>4)</sup> quod si quaeris unde isti grammatici hauserint notitiam casus septimi, non dubito eius auctorem tibi Sacerdotem afferre. quem ne suspicaris ipsum tam peruersam sententiam excogitasse, ea quae tradit<sup>5)</sup> de casu septimo adscribamus: septimus casus fit duobus ablatiuis pariter copulatis, qui locutionem habet ablatiuorum casuum, intellectum genetiui; nihil enim significat auferendi. hic fit modis octo. aut ex participio et nomine ut — *ducente dea* — *uolente deo* — aut ex nomine et participio ut — *oratore declamante* — *sacerdote docente* — aut ex duobus participiis ut — *docto exponente* — aut ex duobus nominibus ut — *bono homine* — aut ex pronomine et nomine ut — *me duce* — aut ex participio et pronomine ut — *laetante me* — nam ex duobus pronominibus septimus casus fieri non potest. quidam putant his casibus iunctis intellectum fieri datiu casus et uocari ipsum quoque septimum casum ut est — *et magno se corpore miscet* — sed errant. nam ibi antiquorum more ablatiuum pro datiuo posuit<sup>4)</sup>, quod licet, etiam si non iunxerimus duos ablatiuos, ponere ablatiuum scilicet pro datiuo, ut est — *haeret pede pes* — et — *parce metu Cytherea* — pro *pedi pro metui*, quod septimus casus fieri non potest sine duobus ablatiuis et sine intellectu casus genetiui.<sup>4)</sup> — Uides igitur et multum abesse, ut tam praeue quam qui eum insecuti sunt technici de casu septimo senserit Sacerdos et unde ille insignis error a Prisciano castigatus oriri potuerit. grammatici enim non altius perspicientes casus septimi naturam, quae eadem uidetur esse atque ablatiu, quem nos uocamus absolutum, cum eorum animi in aduenticiis tantummodo inhaerescerent, facillime in eum errorem adduci pote-

<sup>1)</sup> Consent. p. 2033 P. Max. Uict. ars gr. p. 1939 P. Asp. 1729 P. Serg. in Don. ed. II. p. 1844 P. Seru. ad Aen. I. 411. III. 83 Pomp. comm. Don. pp. 139. 170. ed. Lind. et non sine aliqua doctrinae differentia Char. II. 89 L. 128 P.

<sup>2)</sup> Prisc. V. 673 P.

<sup>3)</sup> Sac. I. § 82.

<sup>4)</sup> Gell. III. 16. Freund lexic. I. p. LXVI. seqq. Reisig §§ 65. 71.

rant, ut casum septimum esse ablatiuum praepositione subtraeta putarent. atque haec ut contendam, quasi manu ducor casus septimi exemplo, quod Donatus posuit *oratore magistro utor*, in quo iam Sacerdotis uestigia cernere mihi uideor exempla afferentis haec: *oratore declamante et sacerdote docente*. qui ablatiui ad quid pertinerent cum nesciret Donatus ablatiuorum absolutorum uim ac naturam prorsus ignorans exemplo leuiter mutato addidit uerbum *utor*, ut haberent ablatiui unde penderent. huic iam fortasse per se probandae sententiae ut quam maxima fides habeatur nobis testem aliquem e grammaticorum latinorum monumentis excitaturis peropportune in tanta obscuritate, qua Sacerdotis nomen usque ad haec ferre tempora premebatur, accedit, quod in Endlicheri Analectis grammaticis Anonymi fragmentum artium grammaticarum<sup>1)</sup> extat, quod hunc grammaticum casus septimi parentem esse disertissime tradit. anonymus enim, (quem H. Keilius non satis demonstrasse mihi uidetur Charisium esse), quot essent casibus enumeratis a diligentioribus technicis etiam septimum casum adici affirmans eum quattuor modis fieri tradit, ita ut Sacerdotis octo modos, quibus ille casus proferatur, in unum coartet eiusque usum exemplo satis insigni confirmare studeat hoc: *studente Sacerdote differentia* (sc. inter ablatiuum et casum septimum) *inuenta est* — *σπουδαίοντος Σακίρδωτος ἡ διαφορὰ ἠέριθη*. unde grammatico inferioris aetatis illam opinionem fuisse apparet Sacerdotem primum quid discriminis inter ablatiuum et casum septimum intercederet repperisse et cum nihil cur huius testimonii ueritatem addubitemus habeamus, nihil restat, nisi ut in Anonymi auctoritate acquiescamus<sup>2)</sup>. —

<sup>1)</sup> Endl. pp. 75—124. „Incerti Artium grammaticarum fragmentum., cf. § 17 (p. 78) „differentia ablatiui et septimi casus.“ — Endlicheri ab Hieronymo Columna decepti sententiam Sacerdotis esse hoc fragmentum ex alio grammatico opere seruatim luculentis argumentis confutauit Osannus (p. 308).

<sup>2)</sup> Hunc Anonymum Osannus (p. 310) quidem suspicatur Iustiniani temporibus Constantinopoli floruisse ibique artem grammaticam exercuisse, at hoc concesso quid detrimenti caperet sententia nostra? nullum, credo. haberemus certe testem aetate non nihil inferiorem, sed ob id ipsum non neglegendum. Sed ista quae Osanno uisa sunt mihi uidentur admodum dubia. nam ipse ille locus Anonymi de casu VII., in quo non solum doctrinae copia, sed etiam subtilitate omnes Latinos artigraphos longe

§ 6. Argumentis igitur ab Osanno allatis postquam exposuimus omnino non nos impediri, quominus, si uellemus, adscriberemus Sacerdoti aetatem, quae ab ea quam Osannus Plotio assignavit, non multum differret, ad id uenimus, ut ad Endlicheri sententiam probandam firma atque ualida argumenta proponamus, quibus facillime effici possit Claudium et Plotium Sacerdotem esse unum eundemque grammaticum, qui duos libros de re grammatica, unum de metrica scripserit. quam ob rem id ante omnia uideamus possintne quaedam communia uincula reperiri, quibus hi tres libri, qui a duobus auctoribus profecti esse ad huc uolgo dicuntur, in unum quasi corpus contexantur. quod nescio an possit melius atque ad persuadendum aptius demonstrari quam Plotii uerbis de metris libro praefixis, quae Analectorum editoribus doctissimis suspicionem mouerunt, libros duos artium Sacerdotis, qui in codice Bobiensi continentur et librum de metris siue artium tertium a Putschio editum unius eiusdemque auctoris diuersis praenominibus, cuiuscunque culpa siue librarii siue lectoris insigniti foetum esse. — His enim uerbis uiam sibi ad librum de metris scribendum patefacit Plotius Sacerdos<sup>1)</sup>:

„Marius Plotius Sacerdos composui Romae docens de metris. Cum de *institutis artis grammaticae* primo libro me tractauisse comperisset uir clarissimus Uranius nec ei displicuisset, uel quod non absurde compositus, uel quod ad eius filium U. C. mihi contubernalem et aetate paene studiisque coniunctum Gaianum scriptus esset, compulsi, ut etiam *de nominum uerborumque ratione* nec non

---

antecellit, opinionem mihi intrudit eum Donato, quem agmen grammaticorum inepte de casu illo cogitantium ducere uidimus, multo esse antiquiorem. atque argumenta ipsa, quibus Osannus ad sententiam muniendam usus est, uix dubium est quin errore nitantur. nam quod *paradigmate Μηνᾶς Μηνᾶ Μενας Μενας* (p. 83) Mennam lectum Iustiniani clarissimum uir doctissimus designari putat, errare uidetur, cum eodem exemplo Charisius (I. p. 8 P. 9 L.), quem multum ante Iustinianum nixisse constat, usus sit. neque e uocabulo *ὑπερθεματισμός*, quod Anonymus affert (p. 105), quamquam id iam magnopere ultimam graecitatem redolet, certi quid de aetate scriptoris constitui potest, aut si argumentum ex isto uocabulo ducere uolebat, id non ante Iustiniani tempora in usu fuisse demonstrare debebat: lexicographi quidem nihil docent nisi esse hanc uocem inde ab aetate Alexandrina a Graecis receptam.

<sup>1)</sup> Plot. Sac. p. 242 G. 2623 P.

etiam *de structurarum compositionibus* exprimentis breuiter laborarem. cuius praestantissimi uiri iussionibus libens arbitror libro secundo nos explicabiliter obedisse, nunc in hoc siue tertio siue nouissimo artium libro — uobis uiris amplissimis — Maximo et — Simplicio —, quoniam iubere dignati estis me posse de metris etiam tractare iudicastis, breuiter esse componendum decreui.<sup>4</sup> —

Haec igitur nos docent Plotium Sacerdotem, priusquam ad librum metricum componendum se accinxit, iam duos libros grammaticos scripsisse, unum *de institutis artium grammaticarum*, alterum *de nominum uerborumque ratione et de structurarum compositionibus*. Erit igitur inuestigandum possitne in Claudianis libris significatio uel leuissima eorum reperiri, quae in prioribus libris tractata esse Sacerdos metricus affirmat. et profecto uidemus in clausulis librorum (nam eorum exordia cum sint temporum iniuria deperdita nihil, quo hanc quaestionem diiudicemus, nos docent)<sup>1)</sup>, quid in iis expositum esset religiosissime rationem esse redditam et eam quidem, ut, cum in utroque grammatico prorsus eadem uerba, quibus librorum argumenta significarentur, posita inuenias, facile sententiam amplectaris non posse seiungi auctorem grammaticum a metrico. idem enim, quod a se in libro primo Plotius affirmat esse traditum, Claudium se tractasse iisdem uerbis non nullis locis comprobare uidemus. praeter duos iam supra<sup>2)</sup> commemoratos locos, e quibus librum primum *Instituta artium* inscribi apparet, huc pertinent et quae in fine utriusque libri extant: ‚hucusque *artium grammaticarum* fecimus *instituta*: de *catholicis* uero *nominum* atque *uerborum* latius exponemus<sup>4</sup> et ‚quoniam — — — in primo

<sup>1)</sup> Si uerum est, quod §§ 2. 3 disputatione effecisse mihi uideor, e Sacerdotis libro secundo esse paene ad uerbum Catholicorum librum, qui Probi cuiusdam uolgo fertur, transcriptum, sequitur nobis omnibus iis locis, ubi codicis Bobiensis, quem non integrum, sed dimidiatum iam supra indicauimus ad nos peruenisse, sumus auxilio destituti, ad istas tantas Sacerdotis lacunas recte explendas summo iure ad Probi librum esse confugiendum. quare quid initio libri secundi Sacerdos scripserit exploraturis percommode, credo, Probo uti licet, quem institutis artium in priori libro tractatis in altero uolumine de catholicis nominum uerborumque docere uelle aperte tradunt uerba haec: ‚quoniam instituta artium sufficienter tractauimus, nunc de *catholicis nominum uerborumque rationibus* doceamus.<sup>4</sup> p. 101 L. 1439 P.

<sup>2)</sup> § 2. Cl. Sac. II. §§ 169, 182.

docui libro, *nominum uero rationem uerborumque* in hoc, consequens arbitratus sum et *de structuris* demonstrare <sup>1)</sup> denique: „nunc igitur *structuras* delectabiles *componamus*“ <sup>2)</sup>. —

Deinde quod omnes tres libri mira illa proprietate perfusi sunt, quod nomine *Sacerdotis* ludit auctor, ut aut ponat paradigma aliquod aut quosdam uersiculos se ipsum composuisse significet, noua lux quaestioni nostrae affulget. nam ut iam supra ostendi, cum Probum compilantem in disceptationem uocarem, haud raro accidit — uel multo saepius id, si integri *Sacerdotis* libri grammatici extarent, accideret —, ut suum nomen auctor exempli loco afferret <sup>3)</sup>, ita idem in tertio de metris libro obseruasse *Sacerdotem* animaduertimus <sup>4)</sup>. — Praeterea communem, qua fluxerint omnes libri, originem indicare uidetur ratio, qua in iis fontinim adhibitorum mentio sit iniecta. uno enim duobusue locis exceptis <sup>5)</sup> nusquam grammatici nominantur. sed quos auctores in libris componendis adiit, ita plerumque commemorantur, ut qui fuerint nesciamus. atque id quidem saepissime esse factum quaeque fere totius operis pagina docere potest, ubi grammaticorum,

<sup>1)</sup> Cl. Sac. II. § 184.

<sup>2)</sup> Cl. Sac. II. § 190.

<sup>3)</sup> E primo *Sacerdotis* libro unus tantummodo iam nobis notus locus huc est uocandus: § 82 *Sacerdote docente*. locis libri secundi (§§ 81, 82, 83, 84, 86) adiungas e *Probi Catholiceis* I. § 7 p. 102 L. 1442 P. *hunc et hunc sacerdotem*. ibid. § 42 p. 122 L. 1464 P. *sacerdos sacerdotis* c. 2 § 134 L. 1478 P. *hic sacerdos huius sacerdotis huc sacerdoti hunc sacerdotem o sacerdos ab hoc sacerdote*.

<sup>4)</sup> Quinque extant tertii libri loci, ubi sui ipsius nominis in uersibus mentionem *Sacerdos* fecit c. 3 § 67 p. 267 G. 2640 P.

„Has tibi dactylicae species per carmina metri

Bis senas et quinque simul dedit ore *Sacerdos*.“

c. 4. § 11 p. 270 G. 2642 P.

„Latina trado carmina sic *Sacerdos*.“

c. 7. § 13 p. 288 G. 2655 P.

„Dii boni seruate *Sacerdotem* uos colentem uos.“

c. 8. § 8 p. 291 G. 2657 P.

„*Sacerdos* docens bene uos formauit ad artes bonas.“

ibid. § 9 p. 292 G. 2658 P.

„Isthaec composui metra *Sacerdos* optima nunc.“

<sup>5)</sup> *Iubae* metrico (c. 11. § 11 p. 301 G. 2664 P.) adiciatur o *Probo* (l. § 41 p. 120 L. 1462 P.) — *Sacerdos* enim ea in parte truncatus — *Aquila* quidam de quo cf. Lind. ann.

qui semper *quidam* appellantur, sententias aut nulla censura adhibita nude refert<sup>1)</sup> aut, ubi eos errasse cognovit, non solum leuiter corrigit<sup>2)</sup>, sed etiam extra cancellos urbanitatis egressus acerbissime perstringit<sup>3)</sup>. — Ad haec argumenta illud quoque addendum est, quod institutionum grammaticarum auctor, quamquam nullo modo tam saepe quam metricae artis scriptor, qui naturae eorum, in quibus exponendis omnis disputatio uersetur, ad graecorum grammaticorum scripta perlegenda quasi erat coactus<sup>4)</sup>, tamen compluribus locis se graecarum litterarum non indoctum praestat. atque hic parcus qui in grammaticis libris animaduertitur graecae linguae usus tantum abest ut sententiae nostrae obluetur, ut eam recte latam esse plene comprobet, modo rationem, qua graecarum litterarum notitia sit inserta, bene considerauerimus. nam praeter illud, quod ab omnibus fere grammaticis latinis institutum uideamus, ut aut elementa graecae grammaticae docerent<sup>5)</sup> aut graece uocabula redderent latina<sup>6)</sup>, in eo uersatur Sacerdos grammaticus, ut eodem modo, quem in arte metrica tenebat, uersus e graecis poetis petitos in medio ponat<sup>7)</sup>. denique uideamus — iam enim concludatur haec argumentatio mea — sit

<sup>1)</sup> Cl. Sac. I. §§ 27. 35. 104. II. §§ 167. 188. Plot. Sac. 3. § 60 p. 264 G. 2638 P.

<sup>2)</sup> In huiusmodi locis, quorum multitudo me impedit, quominus omnes afferam, auctores, quos adiit, perperam iudicasse ideoque reprehendendos esse Sacerdos plerumque his similibusue uerbis monstrat: *quidam putant, non putant, negant, ut quibusdam placet — sed errant* ueluti Cl. Sac. I. §§ 18, 80, 149. II. § 138. Pl. Sac. 2. § 7 p. 248 G. 2628 P.; 8. § 1 p. 289 G. 2656 P.

<sup>3)</sup> Cl. Sac. II. § 35. *quidam imperiti.* § 168. *quidam putant imperitissime.* Pl. Sac. 8. § 8 p. 291 G. 2657 P. *quidam imperiti.* 2. § 14 p. 249 G. 2628 P. *imperitissimi et omni arte metrica separati hebetudine quadam decepti.*

<sup>4)</sup> Plot. Sac. 11. § 1 p. 297 G. 2662 P. „quem (sc. hunc librum) de graecis nobilibus lectis a me — composui.“

<sup>5)</sup> Cl. Sac. II. § 59. *Κράτητος, Ἀγάτου.*

<sup>6)</sup> id. I. § 155. *εὐμενείς* (propitiae) ibid. § 190 *ἐξέχειν* (eminere). II. § 30 „nam *apes* quasi *ἄπους* quod sine pedibus nascatur — *ἄπους* graece significat hominem sine filis. ibid § 43. *ἦρωος ἦρωος* herois: *ἔρωος ἔρωτος* Erotis. II. § 168 *βοῶ βοῶς* (reboo) I. 89. „Soloecismus dictus est duobus modis uel quod sit *τοῦ πάσης λόγον αἰκισμός* i. e. integrae laesio dictionis.“

<sup>7)</sup> Cl. Sac. I. 101 *ἔπειθ' ἡγάς τε καὶ Ἑλλησποντον.* (Hom. II. XXIII. 2.) „*ὄνος ὄνος ἀπέθανε, τίνι τίνι θανάτω.* Τῶι enim longa pro duabus breui-

ne indoles, quam illi tres libri prae se ferunt, talis, ut quin ii ab uno eodemque auctore sint compositi nobis nulla possit relinqui dubitatio. Et uero siue quam uiam auctor in materia disponenda ingressus sit siue quo dicendi genere usus sit respicis, facile artem metricam eadem manu, qua institutiones grammaticas cognosces esse scriptam. nam quidquid explicandum sibi grammaticus proposuit, quemquam nego fore, qui id ad artem certam rationemque factum esse praedicet. atque omnem eius curam in eo fuisse positam qui quamuis obiter libros eius legerit intellet, ut omni ratione omissa minutias studiosissime obseruaret easque, quotienscunque offerretur occasio, consecraretur. itaque ut in libris prioribus multus est tum in coniugationum generibus, tum in figuris schematibusue, tum in singulis uerbis recensendis, quae, ut doceat qualis sit species perfecta, ordine uocalium ante ultimam litteram positarum enumerat, ita eum non piguit in libro tertio metrorum octo quae uocantur prototypa uel generalia schemata per exempla ita tractare, ut et quot pedes uersus habeat et quos pedes singula metra recipiant et qualis sit uersuum clausula rationem habeat. unde non mirum cuiquam uidebitur eum dactylici metri schemata triginta et duo exemplis muniisse. hanc minutam subtilitatem in causa puto esse, quod auctor librorum quaestione aliqua absoluta, priusquam noui quid aggreditur, quae sequentibus contineantur iisdem formulis indicare solet, ueluti *nunc doceamus nunc tractemus nunc componamus nunc ueniamus*<sup>1)</sup>. eodem modo grammaticus, ut quid discriminis intercedat inter similes figuras uel similia quae exposuit metra, demonstret, semper his utitur uerbis: *ergo*

bus soluta accipitur. nam genere ualebit sicut metricis placet, ut proceleusmaticus pro dactylo sit duabus prioribus breuibus pro una longa positus.<sup>4</sup> cf. Pl. Sac. c. 11. § 11 p. 300 G. 2664 P.

<sup>1)</sup> Cl. Sac. II. 80. 'ergo breuiter doceamus.' Pl. Sac. 2, 14. p. 249 G. 2628 P. 'nunc breuiter doceamus.' id. 3. § 31 p. 255 G. 2633 P. 'nunc quartam speciem doceamus.' ibid. § 44 p. 259 G. 2635 P. 'nunc consequens est ut de pentametris doceamus.' — Cl. Sac. §§ 190. 191. 'nunc igitur structuram componamus.' Pl. Sac. 3, 58. p. 263 G. 2638 P. 'nunc de secunda specie — componamus.' — Cl. Sac. II. 162 'nunc ad syllabas consonantium ueniamus. ib. § 178 'nunc ueniamus ad ea.' Pl. Sac. 3. § 52 p. 261 G. 2637 P. 'nunc ad tetrametras species ueniamus.' ibid. § 64 p. 266 G. 2640 P. 'nunc ad dimetra ueniamus.' — Cl. Sac. I. § 88 'nunc tractamus' § 90 'de quibus mixte tractabimus.' II. § 123 'consequens puto de iis tractare' Pl. Sac. 5. § 10 p. 280 G. 2649 P. 'de quibus per exempla tractemus.'

*hoc interest inter — hoc distat hoc differt*<sup>1)</sup>. idcirco non mirere eloquendi generi, quo usus est Sacerdos, nullum fere esse colorem. quae auctori necessaria uidebantur sine ullo orationis ornatu composita: ubique eadem tenuitas et exilitas. quid quod structurae quales *scire notare obseruare debemus quod*<sup>2)</sup> tam saepe reperiuntur, ut taedium afferant?

§ 7. Ac iam satis dictum arbitror de re manifestissima. minus autem expedite soluenda est quaestio, ad quam nunc oratio nostra deflectit, qua aetate Sacerdos nixerit librosque suos scripserit. cuius quidem explorandae quanquam habemus ansas quasdam extrinsecus petitas, e quibus fortasse quod ad uerum prope accedat poterit effici, tamen in iis adhibendis maxima cautio erit adhibenda. interim nos ut poterimus quae nobis uisa sunt proponamus. primum igitur si quaeris quem nullo modo possit egressa esse aetas Sacerdotis terminum, eum iam ante Rufinum Antiochiensem uixisse ex eo apparet, quod hic grammaticus in fine iudiculi eorum auctorum, qui satis perspectum habebant latinos comicos poetas in fabulis usos esse metris, Sacerdotis quoque mentionem facit<sup>3)</sup>. itaque iam sumus assecuti seculum p. Chr. n. quintum, quo Rufinum uixisse paulo post exponemus. praetermitto Seruium Honoratum Centimetri auctorem, nam quod Sacerdos confessus est<sup>4)</sup> se latinum rhopalicum uersum non repperisse, uix conici licet eum Seruio esse antiquiorem, qui in centimetro talem proponit<sup>5)</sup>, cum ueri mihi simillimum uideatur istum

<sup>1)</sup> *hoc inter est inter* Cl. Sac. I. §§ 76. 90. 154. 179. 184. Pl. Sac. 6. § 12 p. 284 G. 2652 P. — *hoc differt* Pl. Sac. 3. § 23 p. 253 G. 2631 P., ibid. § 52 p. 261 G. 2637 P. ibid. § 59 p. 263 G. 2638 P. ibid. 4. § 26 p. 275 G. 2646 P. — *hoc distat* Cl. Sac. I. § 145 Pl. Sac. 4. § 29 p. 276 G. 2646 P.

<sup>2)</sup> *hoc debet sciri quod* — Cl. Sac. I. §§ 42. 66. 84. 161. 184. id. II. § 11. 120. Pl. Sac. 3. 38. p. 256 G. 2634 P. ibid. § 40 p. 257 G. 2634 P. ibid. § 67 p. 267 G. 2640 P. — *obseruare debemus quod* — Pl. Sac. 4. 5. p. 268 G. 2641 P. — *notemus quod* — Plot. Sac. 5. § 12 p. 281 G. 2650 P.

<sup>3)</sup> Ruf. de metr. com. § 30 p. 388 G. 2713 P.

<sup>4)</sup> Plot. Sac. 3. § 22 p. 253 G. 2631 P. latinum non repperi, sed potuit illum Uergilius uersum uerba commutans sine sensus laesione formare *Quarum quae forma pulcherrima Deiopeia* ut sit sic *quae quarum forma pulcherrima Deiopeia*.<sup>6)</sup>

<sup>5)</sup> Seru. Centim. 9. § 25 p. 377 G. 1826 P. rhopalicus uersus est cum uerba, prout sequuntur, per syllabas crescunt ut est hoc *Rem tibi confeci doctissime dulcisonorum*.<sup>7)</sup>

rhopalicum uersum, quales in centimetro multos alios a Seruio de huiusmodi apte eligendo exemplo non mediocriter laboranti esse fictuum: itaque fieri potuit, ut eum, quem non ex ingenio poetae cuiusdam, sed ex officina grammatici profectum intellegeret, Sacerdos aspernaretur. quaeram potius certiora argumenta. iam supra <sup>1)</sup> cum de casu septimo eiusque auctore disputarem, effecisse mihi uideor, quae omnis latinorum artigraphorum turba de illo casu statuerit optime posse ad Sacerdotem reuocari. namque quo modo ista peruersa doctrina oriri potuerit, nisi c Sacerdotis male intellectis uerbis, non perspicias. horum autem grammaticorum primus non solum auctoritate, sed etiam aetate erat Donatus, quem Sacerdotis Artem in manibus tenuisse tunc criminabar. sed non ita, ut eam ad uerbum paene exprimeret. nam reticere non debemus uel leuissime facta comparatione intellegi posse Donatum omni inuili doctrina remota, ne iis, qui legerent, obscurior fieret, in eo operam omnem collocasse, ut quaecunque exposuisset ea ad rationem melius institutam redigeret atque in magis perspicuo conspectu poneret. inde factum esse puto, ut, cum Donati nomen summis laudibus per totam mediam aetatem efferretur, Sacerdotis memoria tenebris obduceretur, e quibus nostris demum temporibus in lucem emerit. Sed ut ad institutam disputationem reuertamur, id nunc agendum uidetur, ut eos, qui haud facile ad credendum impelluntur, nos Donatum falso crimine non insimulauisse, sed reuera indicia non nulla inuestigasse doceamus, quae forsitan ad sententiam nostram eos deductura sint. neque iam opus est multis locis indicare, quid proprium habeat Donatus aut quid cum Sacerdote commune, dummodo mihi contigerit, ut non nullis locis commode allatis me uerum uidisse demonstrarem. ante omnia tenendum est in Arte componenda Donatum non utrumque Sacerdotis librum ante oculos habuisse, sed tantummodo eius librum primum, quem aequae atque secundum initio mutilatum esse iam supra significauimus <sup>2)</sup>. cuius libri eligam caput de uerbo, quo quau

<sup>1)</sup> cf. § 5.

<sup>2)</sup> Sed habemus quod hac de factura non nihil nos consoletur. nam collatione illorum duorum grammaticorum satis nobis persuasum est in Sacerdotis deperdita parte ea esse tractata, quae cum in omnibus Artibus tum apud Donatum aditum ad VIII orationis partes comparare solent. esse enim uerisimillimum librum ita incepisse Sacerdotem, ut *syllabus*

cognationem cum Sacerdote habeat Donatus ostendam. atque horum grammaticorum comparatione instituta illis locis omissis, e quibus propter magnam eorum similitudinem certi elici possit nihil<sup>1)</sup>, duo genera discrepantiarum reperiuntur, quorum unum ita comparatum est, ut e mero scriptoris arbitrio illae uideantur ortae esse, alterum uero ita, ut alter alterum impugnare uel corrigere uelle uideatur. unde cognosci facile poterit uter prior sit habendus. quod ut appareat, conferenda sunt quae Sacerdos et Donatus de uerborum modis tradiderunt, hos quinque esse statuit Sacerdos uerbis his<sup>2)</sup>: „modi uerborum sunt quinque, pronuntiatuus, quem quidam indicatiuum uel finitiuum dicunt, qui habet tempora tria: instans id est praesens, praeteritum et futurum, quod tempus futurum scilicet modi pronuntiatui modum dicunt promissiuum, sed errant; nam tempus est futurum specie promissiuum . . . secundus modus est imperatiuus . . . tertius modus est optatiuus . . . quartus modus est subiunctiuus, quem quidam adiunctiuum uel coniunctiuum uocant . . . quintus modus est infinitus quem perpetuum dicunt.“ his quinque modis a Donato duo adiciuntur, ut septem efficiantur<sup>3)</sup>: „modi autem sunt ut multi existimant septem: indicatiuus, qui et pronuntiatuus dicitur ut *lego*, imperatiuus ut *lege*, promissiuus ut *legam*; sed hunc nos modum non recipimus; optatiuus *utinam legerem*, coniunctiuus *cum legam*, infinitiuus *legere*, impersonalis *legitur*. hunc quidam modum pro genere aut significatione uerbi accipiunt.“ — His igitur duobus modis, quibus Donatus abundantior est, modo promissiuo et impersonali, tantum abest ut sententia nostra refutetur, ut quae antea incerta fuerunt nunc ita explanentur, ut uel caecis satis clara ac perspecta futura sint. de modo promissiuo uix est quod admoneam. quae prima ex fronte inter duos grammaticos uideri potest dissensio re accuratius in-

---

*litteras pedes accentus* exponeret, ex eo perspicias indicio, quod metra in tertio libro docens, ubi natura rei, quam tractare coeperat, postulabat, ut in illa fundamenta omnis rei metricae diligentius inquireret, ne uerbo quidem ea commemorauit. illum iterum pedum nomina (c. l. p. 243 G. 2623 P.) idcirco recensuisse credi potest, quod his ad rem quam parabat demonstrandam nullo modo carere potuit. cf. c. l. § 10 p. 245 G. 2625 P.

<sup>1)</sup> cf. Sac. I. § 25. Don. II. 12. § 7 p. 19 L. 1757 P.; Sac. I. 27, 28. Don. II. 12. §§ 8, 9 p. 19 L. 1757 P.

<sup>2)</sup> Cl. Sac. I. §§ 29—33.

<sup>3)</sup> Don. II. 12. § 2 p. 17 L. 1754 P.

specta est nulla. nam quod hunc modum Donatus primo in modorum numerum recipiendum putauit, mox autem uix receptum nulla ratione reddita, cur id statueret, extrusit, Sacerdotis uerba intellegi potest ei ante oculos uersata esse eos reprehendentis, qui non perspicerent modum quem dicunt promissuum nihil aliud esse, nisi futuri temporis indicatiuum. neque alter modus impersonalis, quem a Donato additum uides, erit nobis offensionis. nos enim hunc modum, quem in recensione modorum Sacerdos omisit, ubi eum reperire debeamus per Donatum docemur, qui eum profitetur non ab omnibus grammaticis inter modos referri, sed esse quosdam, qui eum ad *genera uerborum* pertinere arbitrentur. Ac profecto quidem nos Sacerdotis locum, ubi de generibus uerbi disserat quaerentes, unde fructum aliquem capiamus, ultimum locum generum uel significationum, quae uerbo accidere putantur, speciem impersonalem tenere uidemus<sup>1)</sup>. — Haec, credo, sufficient, ut maximam Donati partem ad Sacerdotem redire existimetur. quibus nondum hac disputatione satis factum erit conferant locos, ubi ab utroque grammatico de figuris agitur. ac statim praeter quandam Sacerdotis uerborum perturbationem, quae aut auctoris neglegentiae aut librario aut casui tribuenda est, confitendum est illum et propter maiorem figurarum copiam<sup>2)</sup> et propter non nullos ex optimis fontibus, quales inter omnes constat esse Quintilianum et Annaeum Cornutum petitos poetarum uersiculos<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Cl. Sac. I. 15 *genus* in uerbis i. e. species uel affectus uel significatio diuiditur in nouem *actiuum, passiuum — frequentatiuum, impersonale* cf. ibid. § 24.

<sup>2)</sup> His Donato Claudius Sacerdos copiosior est figuris: de protheseon parallage (§ 105), de mytacismo (§ 117) de aprepia (§ 118) de homonymia (§ 120) de synonymia (§ 121) de cacozelia (§ 122) de mesozeuxi (§ 129) de prozeuxi (§ 131) de promezeuxi (§ 132) de secunda synlempi (§ 134) de tertia synlempi (§ 135) de anacolutho (§ 136) de iso (§ 146) de diaeresi (§ 148) de merismo (§ 149) de cacophemia (§ 156) de antapodosi (§ 162) de colasi (§ 167) de aposiopesi (§ 179) de epidiorthosi (§ 180) de probatione (§ 181) de exemplo (§ 182) de argumento (§ 183) de signo (§ 184) de hemiastato (§ 185) de metanoea (§ 186) de exoche (§ 187) de exoche prima secunda tertia (§§ 188—90).

<sup>3)</sup> Sac. I. § 173 „atque gubernator magna contorsit eqnos ui.“ hunc incerti poetae locum e Quint. VIII. 6. § 9 petisse Sac. uidetur. ibid. § 177 „placidumque petiuit coniugis infusus gremio per membra soporem.“ hunc

laudandum ideoque Donato multo maiorem praedicandum esse. Et quod duobus locis <sup>1)</sup> Donatus paradigmate Sacerdotis usus est, iam mihi uestigia huius grammatici cernere uideor, quem nomine suo impigerrime ludere iam saepe annotauimus <sup>2)</sup>.

Quae si recte a nobis sunt disputata, efficitur iam ante medium seculum p. Ch. n. quartum (ea est enim Donati aetas) Sacerdotem uixisse. sed qui sit ultimus terminus, extra quem tempus eius reuolui nequeat, res est ualde dubia et periculosissima. Iam e prima huius capituli paragrapho meminimus in definienda aetate, qua Plotius Sacerdos uixerit, Osannum, qui auctorem metricum a grammatico prorsus secernendum decreuit, non admodum usitato — quis est qui huius uiri in excutiendis remotissimis testimoniis assiduitatem non miretur! — argumento esse usum. is enim, qui noluit in animum ipsius auctoris quasi descendere, unde lucem quaestioni afferret, eam melius posse diiudicari putauit adiumentis externis. itaque postquam in praefatione Plotii Sacerdotis cognovit non nulla Romanorum haud dubie nobilium nomina reperiri, quae nusquam alibi extabant, id ante omnia studebat explorare, qui et quibus temporibus fuissent illi Uranii Gaiani Maximi Simplicii — haec enim sunt nomina eorum, quibus Sacerdos singulos operis sui libros dedicauit. quod ut efficeret, haud facile potuit in ullum faciliorem commodioremue patronum deferri quam in Iustiniani qui repetitae praelectionis uocatur codicem, qui omnium fere Romanorum, qui unquam in usu erant, exempla ostendit. idcirco non mirere reuera *Uranium* <sup>3)</sup> quendam, cui Alexander Seuerus Imperator *Maximo* et Aeliano Coss. anno 224 et *Gaianum* <sup>4)</sup>, cui anno 242. Gordianus Imperator edictum aliquod proponit nobis occurrere, sed nullo modo his duobus testimoniis Osannus adduci debebat, ut Sacerdotem metricae artis auctorem

---

sum Uergilianum (Aen. VIII. 405) in disputationem teste Gellio VIII. 10, 5. nocauerat Annaeus Cornutus. de quo mox infra.

<sup>1)</sup> Don. I. 4. § 3 p. 7 L. 1740 P. id. II. 4. § 1 p. 11 L. 1746 P.

<sup>2)</sup> Ex his perspicitur nulla emendatione opus esse ad recte intellegenda uerba Rufini (§ 30 p. 388 G. 2713 P. cf. Ritschl. Parerg. I. p. 360. Osann. p. 306) *Sacerdos qui et Donatus*. quae Rufinum bene nouisse aperte tradunt tantam horum grammaticorum cognationem esse ut unus pro altero percommode poni potuerit.

<sup>3)</sup> cod. Iust. lib. II. Tit. 1, 6.

<sup>4)</sup> id. II. tit. 38, 2.

medio tertio seculo uiguisse proloqueretur. nam diligentius si inspexisset codicem Iustinianicum, facile nomina ista, quorum indagandorum tam studiosus erat, saepenumero redire uidisset. ut igitur breuiter rem complectamur, *Maximi* Romae tam frequentes fuisse uidentur, ut nullus in illo codice annus annotaretur, quo *Maximi* nomen non legeretur<sup>1)</sup>. praeterea *Uranium*<sup>2)</sup> inuenimus quendam anno 339, *Gaianum*<sup>3)</sup> Diocletiani temporibus et *Simpli- cium*<sup>4)</sup>, quem frustra in edictis quaesiuit Osannus, seculo exeunte quarto uixisse. ut nullum fore suspicer, qui istis sibi satis factum esse Osannianis arguentis audeat fateri. — Itaque aliam paucis monstrare conemur uiam, qua etsi ueritatem ipsam non exploremus, tamen ad eam nos prope accessuros confidamus. uerbis enim quibus Sacerdos libro secundo finem<sup>5)</sup> imponit diligenter consideratis habebimus ubi pedem non nihil figamus. in eo enim uersari uidemus grammaticum, ut sui temporis barbarissimum uitaturis praecepta det, quibus optime possint structuras delectabiles in dicendo componere, quae non multum a Tullianis abhorreant. Haecce digito quasi nobis monstrant Diocletiani aetatem, qua re- publica aliquantulum communita eloquentia iterum agitari urgerique coepta est. quae cum Romanorum ingeniis iam prorsus exhaustis in prouincias migrare esset coacta, apud Gallos praecipue receptum firnum habuit, e quibus complures extiterunt rhetores, qui non solum in scholis artem rhetoricam tradebant, sed iidem occasione oblata palam dicebant. hi uiri, qui gallici panegyrici appellabantur, quoniam plane perspectum habebant quanto essent sua ipsorum ingenia inferiora Romanis<sup>6)</sup>, ducebant, si aliquam in dicendo laudem assequi uellent, cum ad antiquos scriptores romanos tum imprimis ad Ciceronem sibi esse redeundum<sup>7)</sup>. Quae omnia apprime conuenire

<sup>1)</sup> id. I. 18, 1. (a. 212 p. Chr. n.) I. 40, 1 (234); II. 3. 16, 17 (286); III. 11, 5 (322); III. 30, 1 (358); III. 2, 7 (371); I. 41, 9 (433).

<sup>2)</sup> id. X. 6, 5.

<sup>3)</sup> id. III. 2, 11; V. 46, 3; VI. 42, 26; VIII. 28, 10.

<sup>4)</sup> id. I. 35, 2.

<sup>5)</sup> Cl. Sac. I. inde a § 184 usque ad finem.

<sup>6)</sup> Inc. Paneg. (Anni 313) VIII. 1. (ed. laeger) „neque enim ignoro quanto inferiora sint ingenia nostra romanis. si quidem *latine* et discrete loqui illis ingeneratum est nobis elaboratum. et si quid forte commode dicimus ex illo fonte et capite facundiae imitatio nostra deriuat.“

<sup>7)</sup> Bernhardy, hist. rom. litt. ed. II. p. 301: „ihre (der gallischen reduer) stark besuchten schulen zeichneten sich durch ein fleissiges stu-

uidentur aetati quam statuerim Sacerdotis, qui temporis sui barbarismo offensus Cicëronem discipulis commendabat inuitandum: attamen hac ex re concludi non potest Sacerdotem natione fuisse Gallum. nam licet ipse in prooemio tertii libri se Romae docere professus est, sed fuisse uidetur haec totius aetatis indoles, ut, cum desperaret de suis ipsius uiribus, ad antiquos esse confugiendum censeret. — Accedit quod structuras quales *observare scire notare debemus quod*<sup>1)</sup> et uoces ut *poenitudo*<sup>2)</sup> *subaudiri*<sup>3)</sup> multo tutius est ad quarti quam tertii seculi initium referre. —

§ 8. Aetate igitur, qua ut opinor uixerit Sacerdos, expiorata pauca de nomine eius afferenda sunt. quod utrum fuerit *Claudius* an *Plotius* ambigi potest. qua in re diiudicanda cum a scriptoribus non adiuti simus — nam qui eum afferunt nullo nomine addito *Sacerdotem* nominant<sup>4)</sup> — a codicibus auxilium petendum est. Liber Ms. Leidensis, quo usus Gaisfordius Marium Plotium Sacerdotem emendatiorem reddidit, quanquam de aetate eius editor doctissimus in praefatione nihil disseruit, recentior esse uidetur, quam ut cum peruetusto codice Bobiensi, quo artium grammaticarum libri duo continentur, possit ullo modo conferri. in quo cum haec uerba utriusque libro subscripta iegantur: *M. CLAUDI SACERDOTIS ARTIUM GRAMMATICARUM FELICITER*; quam diu nulla certiora argumenta afferentur, id esse Sacerdotis nomen habendum puto. quod ut statuerem, id quoque me maxime mouit, quod orthographiae, quae illo tempore in usu erat, quo codex Bobiensis scriptus est, ratione habita multo facilius intellegebam fieri potuisse, ut diphthongus *·AU·* transiret in *·O·* uocalem, quam haec in illam. *M* autem littera quid significetur non satis constat. qua cum gentile nomen quoddam uelut *Marii* uel *Manlii* indicari uix sit credibile, *Marci* praenomen latere haud negauerim.

---

dium der besten prosaiker, namentlich Ciceros, aus' *ibid.* pp. 306. 314. sie (die panegyriker) haben auch weniger den Panegyricus des Plinius als Cicero zum Vorbilde gewählt.' *ibid.* p. 617. Westermann, *hist. eloq. rom.* p. 315 seqq.

<sup>1)</sup> cf. p. 43, ann. 2.

<sup>2)</sup> Cl. Sac. I. 186. uide quae ad h. l. Endl. disputauit.

<sup>3)</sup> id. I. 113. 135. 162. 178.

<sup>4)</sup> Praeter Rufini locum supra allatum huc pertinent quos Endl. in praef. p. III. attulit, loci hi: Cassiodorus in praef. ad libr. de orthogr. p. 2775 P. p. 2323 P. (bis) Pomp. Comm. in Don. p. 213 ed. Lindem.

Ex aetate, quam Sacerdoti assignauimus, apparet non uerisimile esse eum christianae religioni fuisse addictum. quae tunc non ita erat adulta, ut qui eam profitebantur Romae litteras docerent. Endlichero autem nulla iusta causa erat cur hanc quaestionem proponeret, cum nomina propria e litteris diuinis deprompta, quibus in hanc suspicionem adductus est, ab interpolatore quodam Sacerdotis uerbis sint intrusa<sup>1)</sup>.

§ 9. His expositis iam ad ultima progrediamur, quibus qui fuerint Sacerdotis fontes delineare conemur. quam quaestionem quo minus plane cumulateque perficiamus, spatio prohibemur, quod longe transgrederemur, si ea qua par est diligentia in hanc non expeditam rem inquireremus. cum enim pro satis explorato sit habendum eorum grammaticorum, qui Artes scripserunt, nullum aetate esse Sacerdote maiorem, efficitur, ut unde is hauserit si indagare uelimus, artigraphorum istorum turbam relinquere nouoque fines ingredi debeamus. in his ut mox uiam aliquam inueniamus, qua quibus doctrinam acceptam Sacerdos referat coniectura fortasse probabili assequi liceat, Endlicheri opera et cura efficitur, qui, quotienscunque facultas sibi datur, antiquorum scriptorum locos impigerrime indicat. Sacerdotem enim ipsum fere nullos auctores nominatim appellare, quibus perlectis libros suos composuerit iam supra testimonia attulimus, nisi forte putas ex eo, quod Catholicorum auctor, qui uolgo Probus uocatur, semel *Aquilam* quendam commemorat<sup>2)</sup>, qui Ciceronem *hic haec hoc pubes huius puberis* dixisse refert, esse coniciendum hunc a Sacerdote esse inspectum. At nulla est causa cur testem istum, de cuius persona et scriptis nihil habemus, quod pro certo statuere possimus — nam quos ad h. l. Lindemannus Aquilas affert, eorum nullus est, qui huc bene sit uocandus — grauius ac seuerius non reiciamus recordati quam minus commode in testibus afferendis iste Probus audiat, quem ipsum Uarronis nomen iactasse non uidebat. igitur cum e grammatici uerbis nihil possit elici, quo quosnam auctores secutus sit comperiamus, nihil restat, nisi ut iam ab Endlichero adiuti uideamus ipsi quos auctores Sacerdos in singulis libris componendis ante oculos habuerit. e quibus statim summouendus est liber secundus, qui totus ex auctoris ingenio

11:

1) cf. § 4.

2) Prob. II. l. § 40 p. 120 L. 1462 P.

profectus esse uidetur. nulla enim fere fontium significatio praeter unum locum<sup>1)</sup>, quo quosdam *parire* dixisse questus est. hisnum uerbis Uarro denotetur Ennii uersum afferens, quo ista inusitata forma reperitur, affirmare non ausim<sup>2)</sup>, cum Uarronianae doctrinae frustula alibi nasquam inuestigare mihi liceat. altero autem loco cum Endlichero mihi Quintiliani uestigia deprehendisse uideor, cum Sacerdos, ut doceret<sup>3)</sup> qui esset nominum syllaba ·NAS· terminatorum genetiuis, exemplum *Asprenas Asprenas Asprenatis* haud dubie ex eo sumsit, qui<sup>4)</sup> in eadem re uersans eodem nomine, quod aequalis cuiusdam fuisse uidetur<sup>5)</sup>, est usus. praeterea nullus, credo, libri secundi locus extat, qui sententiam nostram de propria eius indole possit refellere, ita ut eum aliunde originem non duxisse uerisimillimum existimes. quae laus certe inuitur libro accuratius inspecto, in quo uereor ne auctorem deprehendas sine iudicio ac mente de nominibus uerbisque disputare, quorum rationem per singulas litteras syllabasue ante ultimam litteram positas demonstret neque ulla te miratio incedet, quod in re maxime inani atque tenui nullos habuit quos sequeretur aut qui eum secuti sint. — Haec quae modo dixi ad priorem quoque libri primi partem, ubi auctor de octo orationis partibus disseruit, mihi uidentur referenda esse, praesertim cum maiore eius parte simus destituti. quae autem de uerbo aduerbio participio coniunctione interiectione restant nix habeas quo ea possis reuocare<sup>6)</sup>. unus

<sup>1)</sup> Cl. Sac. II. 138.

<sup>2)</sup> Uarro de l. l. V. 10. § 59 hunc Ennii uersum afert (Ann. lib. I. fragm. XII. p. 5 ed. Uahlen.) ,oua *parire* solet genus pennis condecoratum, non animam.' cf. Prisc. X. 8. p. 880 P. Diom. p. 378 P. — Cui addas fragm. Pomponii apud Nonium p. 508, 3 asseruatum ,si praegnans non es *paribus* nunquam.' (cf. Ed. Munk de Pomponio Atellanarum postea p. 64) et Plauti uersum ap. Philarg. ad Uergil. Ecl. 2, 36: ,nam audini feminam ego leonem semel *parire*.'

<sup>3)</sup> Cl. Sac. II. § 19.

<sup>4)</sup> Quint. I. 5. § 62.

<sup>5)</sup> Tac. Hist. II. 9. ,Galatiam ac Pamphyliam pronincias Calpurnio *Asprenati* regendas permiserat.'

<sup>6)</sup> Poterit ambigi Comminianus fueritne is, e quo Sacerdos octo orationis partium definitiones sumsit, quarum maior pars paululum tantum mutata apud Sacerdotem legitur. Quod si ita esset, Comminianus inter recentiores grammaticos non esset referendus.

tantum locus<sup>1)</sup> habet quandam cum Quintiliani loco affinitatem, quo numeris duobus uerbi a quibusdam commemorat adici numerum dualem, ut *scripsere legere*<sup>2)</sup>. haec eadem fere reperiuntur apud Sacerdotem. — Multo autem uberiores sunt fontes nobis in alteram libri eiusdem partem inquirentibus, quae de barbarismo et metaplasmo scripta est. ac primum quidem cum omnis haec doctrina a graecis grammaticis profecta cultaque sit, non erit mirandum inter eos et Sacerdotem non nunquam aliquam animaduerti posse similitudinem. eum enim locis, quos Endlicherus indicauerat, consideratis — mihi autem ipsi Boissonnadii Aneedotorum uolumen tertium adipisci non licuit — Tryphonem Polybium Cocondrium alios troporum scriptores legisse non negauerim<sup>3)</sup>. — Latinis uero grammaticis si quaeris quibus in ea operis sui parte usus sit, Quintiliani, quem in libris institutionis oratoriae de tropis

<sup>1)</sup> Cl. Sac. I. § 26.

<sup>2)</sup> Quint. I. 5. § 42.

<sup>3)</sup> Cl. Sac. I. § 89. „Soloecismus dicitur est duobus modis uel quod sit τοῦ σώου λόγον αἰσισμός uel quod aliquando Soloeci Cilicienses ciues Athenas profecti non integre loquentes uitioso sermoni de uocabulo suo nomen dederunt.“ Polyb. de soloec. ap. Boisson. Anecd. III. 232. οὕτως καὶ ὁ σολοικισμὸς παρὰ τοὺς σολοίκους (καὶ γὰρ οὕτως τινὲς προσεγγόρευσαν τοὺς βαρβάρους) ἢ κατὰ τὸ ἔτυμον σολοικισμὸς ἐστὶ σώου λόγον αἰσισμός. cf. Anon. de barb. et sol. ibid. p. 238. — Cl. Sac. I. 175. „metonymia est oratio ab aliqua propria significatione ad propriam proximitatis interpretatione descendens; — per id quod continetur illud quod continet ut est — et *nina coronant* — pro *cruteris*; — per inuentorem id quod inuentum est — *sine Cerere et Libero friget Venus* — inuentores enim posuit pro inuentis pro tritico Cererem, pro uino Liberum.“ Cocondr. περὶ τρόπων p. 293 μεταωνυμία ἐστὶ λέξις ἀντὶ ἑτέρας λέξεως παραλαμβανομένη κατὰ τινα κοινωνίαν τῶν πραγμάτων — ἢ ἀπὸ τοῦ περιέχοντος τὸ περιεχόμενον, ὡς ἔκειτο τὸ ποτήριον ἀντὶ ἐκ τοῦ ποτηρίου οἴνου. — ἢ γὰρ ἀπὸ τοῦ εὐρόντος τὸ εὐρηθὲν σημαίνεται, ὅταν Δημήτηρ ὁ σίτος καὶ ὁ οἶνος Διόνυσος λέγωνται. Quibussem cf. Fest. p. l. s. u. metonymia. — Cl. Sac. I. § 178. „synecdoche est oratio plus minusue dicens quam necessaria postulat significatione, postulat intellectus. haec fit modis quattuor: aut ex parte totum — aut per totum pars — per id quod sequitur illud quod dicitur — per id quod sequitur illud quod debuisset dici.“ Tryphon περὶ τρόπων p. 275. συνεκδοχὴ ἐστὶ φράσις οὐ κατὰ τὸ πλήρες ἐκφερομένη, προσδιομένη δὲ τινος ἔξωθεν διανοίας. ἔχει δὲ τέσσαρα διαφορὰς. καὶ γὰρ ἀπὸ τοῦ μέρους τὸ ὅλον δηλοῖ καὶ ἀπὸ τοῦ ὅλου τὸ μέρος καὶ ἀπὸ τοῦ συμβαινόντος τὸ προηγούμενον καὶ ἀπὸ τοῦ συμβόλου τὸ κύριον cf. Cocondr. p. 297 et Zonaeum ibid. p. 319.

copiose disseruisse constat, uestigijs institit. nam quamquam multa apud utrumque grammaticum sunt, quae inter se non nihil discrepent, tamen compluribus locis tantus et doctrinae et exemplorum animaduertitur consensus, ut uix possit credi Sacerdotem Quintiliani libros non inspexisse. quae quo melius intellegantur, conferantur quae uterque de macrologia <sup>1)</sup> allegoria <sup>2)</sup> metaphora <sup>3)</sup> probatione <sup>4)</sup> exemplo <sup>5)</sup> argumento <sup>6)</sup> signo <sup>7)</sup> soloecismo <sup>8)</sup> barbarismo <sup>9)</sup> scripserunt. praeterea Annaeum Cornutum Persii amicum eiusque satirarum interpretem doctissimum, quem libros de figuris sententiarum composuisse Gellius <sup>10)</sup> testatur a Sacerdote <sup>11)</sup> esse adhibitum ex eo apparere uidetur indicio, quod Uergilii uersus quidam ab utroque grammatico in eadem re uersanti proponitur. — Denique artem metricam, quae tertio totius operis uolumine continetur, etiamsi Sacerdos ipse disertis uerbis non esset testatus <sup>12)</sup> maximam partem graecis auctoribus accomodatam esse, et magna graecorum latinis immixtorum exemplorum copia pateret, quorum plurima in Hephaestionis enchiridio, qui liber unus ex omnibus graecis metricis integer ad nos peruenit, extant. latinos autem auctores praeter Iubam <sup>13)</sup> quos afferam habeo nullos. nullum enim uestigium nec Atilii Fortunatiani nec Terentiani Mauri, quos aetate superiores fuisse constat.

1) Cl. Sac. I. § 111. Quint. VIII. 3. § 53.

2) Cl. Sac. I. § 151. Quint. VIII. 6. § 45.

3) Cl. Sac. I. § 173. Quint. VIII. 6. § 9.

4) Cl. Sac. I. § 181. Quint. V. c. 8.

5) Cl. Sac. I. § 182. Quint. V. c. 9.

6) Cl. Sac. I. § 183. Quint. V. c. 10.

7) Cl. Sac. I. § 184. Quint. V. c. 11.

8) Cl. Sac. I. § 89. Quint. I. 5. § 50.

9) Cl. Sac. I. § 90. Quint. I. 5. §§ 5. 36.

10) Gell. VIII. 10, sed Annaeus *Cornutus* homo sane pleraque alia non indoctus neque imprudens in secundo tamen librorum, quos de *figuris sententiarum* composuit, egregiam totius istius nerecundiae laudem insulsa nimis et odiosa scrutatione uiolauit. nam cum genus hoc figurae probasset et satis circumspecte factos esse uersus (Uerg. Aen. VIII. 405—6) dixisset *membra* tamen, inquit, paulo incautius nominauit. cf. id. II. 6.

11) Cl. Sac. I. § 177.

12) Pl. Sac. II. § 1 p. 297 G. 2662 P. ,de graecis nobilibus metricis lectis a me composui (sc. hunc librum).

13) Pl. Sac. ibid. § 11 p. 301 G. 2664 P. ,sicut praecipit *Iuba* metricus.‘

## VIII. ASMONIUS.

Uix dubium uidetur quin quae uerba Asmonii apud Priscianum de metr. com. <sup>1)</sup> leguntur ex Arte petita sint, quam idem Priscianus <sup>2)</sup> testatur eum ad Constantium imperatorem scripsisse. unde apparet Asmonium circa a. 310 uixisse.

## X. FIRMIANUS LACTANTIUS.

*Osann*, Beitr. II. p. 365 seqq.

De illius uiri memoria optime meritis est Osannus, qui testimoniis e remotissimis scriptoribus apte allatis eum demonstrauit librum edidisse, qui *Grammaticus* inscribitur, in cuius fine morem temporis sui secutus metrorum rationem exposuerit. ad quem librum quae Firmianum ad Probum de metris comoediarum scripsisse tradit Rufinus <sup>3)</sup> nescio an sint referenda, ita ut ille liber Grammaticus ad Probum artigraphum uideatur scriptus esse. Lactantium priore seculi quarti parte uixisse constat. —

## XI. SANCTUS HIERONYMUS.

Etsi nequidem fugit S. Hieronymum inter ecclesiasticos scriptores insignem locum obtinere, minus tamen innotuit eundem non exiguum ut uidetur operam grammaticae nauasse, qua a Donato eum institutum fuisse colligi licet e uerbis hisce <sup>4)</sup>: „puto quod puer legeris commentarios in Terenti comoedias *praeceptoris mei Donati*“ extant enim nomine eius fragmenta duo et artis grammaticae et artis metricae <sup>5)</sup>, quae H. Keilium, qui Italicas bibliothecas perscrutans primus ea repperit, mox publici iuris fa-

<sup>1)</sup> Prisc. § 8 p. 412 G. 1321 P. Asmonius idem etiam confirmat his uerbis<sup>6</sup> seqq. cf. Mar. Ulet. II. 4. §§ 16, 17 p. 108 G. 2526 P.

<sup>2)</sup> Prisc. Inst. X. 24. p. 890 P. „quod — putat Asmonius in Arte quam ad Constantium imperatorem scribit.“

<sup>3)</sup> Ruf. de metr. com. § 29 p. 387 G. 2712 P.

<sup>4)</sup> Hieron. Apol. e. Ruf. p. 495. Graefenhan III. p. 106 ann. 39.

<sup>5)</sup> Keil. Anall. gramm. pp. 23. 24. Cod. Regin. 1283 saec. XI. fol. 114, incipit sententia *Hieronymi* de utilitate grammaticae artis. *Inter philosophos — regulae nominentur.* — Cod. Regin. 1586 membr. 4. saec. XI. fol. 77, incipit epistola *sancti hieronymi* de nominibus pedum. *Pyrrhichium dictum — conuenerunt grauius.*<sup>6</sup>

cturum sperandum est. Tempus uero, quo Hieronymus uixit, idem est, quo Lactantius, quocum per litteras colloquebatur.

## XII. ALBINUS.

*Osann*, beitr. II. p. 361.

Ad ea, quae de hoc uiro disputauit Osannus, addendum est, H. Keillum reuera satis uetustum codicem romanum inspexisse, quo continebantur Albini magistri uersus de laude metrica<sup>1)</sup>. cum uixisse probabiliter Osannus coniecit medio seculo quarto.

## XIII. UICTORINI.

*Osann*, beitr. II. p. 352 sqq.

*Lersch*, Zeitschr. f. alterth.-wiss. 1840 p. 109.

De tribus libellis grammatici et metrici argumenti, qui in editione Putschiana<sup>2)</sup> et Lindemanniana<sup>3)</sup> nomen *Maximi Uictorini* praese ferunt, Osannus primus copiosam quaestionem instituit eamque ad eum finem perduxit, ut duos ultimos libros, qui *de carmine heroico* et *de ratione metrorum* scripti sunt, Mario Uictorino clarissimo rhetori, qui eruditissimus latinorum metricorum hodieque habetur, adscribendos, primum autem, quo *Ars grammatica* continetur, quae cum fontibus Uictorino multo posterioribus uideretur niti, ad alium grammaticum aut eiusdem aut alius nominis censeret esse transferendum. Etiam longius processit Lerschius, qui omnes tres libellos a Mario Uictorino confectos esse putaret, horum neutram sententiam esse accipiendam breuiter exponam.

Nam ut scripserit Mar. Uictorinus hos tres libros siue post siue ante magnum de metris editum librum, cum propter rerum tractatarum similitudinem spem magnam habere debes alicubi in alterutro libro mentionem aliquam facturum fuisse se iam prius idem exposuisse. cuius cum in neutro uolumine ne uestigium quidem ullum appareat, Marius Uictorinus auctor illorum librorum

<sup>1)</sup> Keil. Anall. gr. p. 24. cod. Regin. Nro. 1587. membr. 4. saec. X. fol. 1. uersus *albini magistri* de laude metricae artis feliciter amen. *Luz est orbis — iunxi.*

<sup>2)</sup> p. 1937—1974 ed. P.

<sup>3)</sup> p. 271—302 ed. L.

non uidetur fuisse. quin etiam inter singulos libros non nullam discrepantiam intercedere facile intellet qui ad praecepta in illis tradita animum aduerterit. quid? Marius Uictorius, quem pudet omnia XXXII dactylicae uersus genera exemplis probare<sup>1)</sup> estne Maximus ille Uictorius, qui toto libro qui est de carm. heroico illa genera descripsit? An eum, qui uersus priapeos eos dicit<sup>2)</sup>, qui medii caesura finduntur, quales sunt hi:

Aut Ararim Parthus libet | aut Germauia Tigrim.

Utque uiro Phoebi chorus | adsurrexerit omnis.

Est mihi namque domi pater | est ininsta nouerca.

credis esse Marius Uictorium, qui ista priapeorum uersuum ratione improbata rectissime de iis indicat<sup>3)</sup>? Et ad octo genera syllabarum positione longarum, quae Mar. Uictorius<sup>4)</sup> admittit, a Maxim. Uictorino in Arte gram.<sup>5)</sup> adiecta uides duo. non nihil praeterea uidetur Osanni sententiae reluctari, quod quas syllabas Mar. Uictorius communes siue medias uocat<sup>6)</sup>, easdem coniunctas appellat Maxim. Uictorius de ratione metrorum<sup>7)</sup> earumque tantum duo genera agnoscit, cum quattuor Marius afferat. huc accedit, quod si Marius Uictorius solus omnium istorum librorum auctor esset, in iis omnibus necessario conspicua esset eadem et dicendi et disputandi ratio. de quo quidquid cogitas, certe tam humiliter de eo sentire nequis, ut ex eius ingenio libros minores profectos esse dicas. qui si reuisceret, Osannum iniuriarum, credo, postuleret. est enim magis obscurissimi magistri quam Marii Uictorini, qui quanquam rerum a se traditarum inuentor ipse non est habendus, tamen negari nequit cum dexterrime et doctissime apud diuersissimos lecta concoxisse utique in conspectu posuisse,

<sup>1)</sup> Mar. Uictor. II. 2. § 22 p. 96 G. 2517 P. „quas species sub exemplis enumerare et apud nos longum et apud eruditos absurdum habentur quas tamen triginta duas esse manifestum est.“

<sup>2)</sup> de carm. her. § 6 p. 292 L. 1961 P. „metrum uero priapeum est cum in hexametro uersu primi tres pedes concatenati inter se a reliquis tribus sequentibus diuisi separatique sunt.“

<sup>3)</sup> Mar. Uict. III. I. § 74 p. 207 G. 2598—9 P. id. III. 13. § 23 p. 175 G. 2576 P. cf. Lachm. praef. Ter. M. p. XVIII.

<sup>4)</sup> Mar. Uict. I. 5. § 7 p. 30 G. 2471 P.

<sup>5)</sup> Max. Uict. ars gr. § 19 p. 278 L. 1946 P.

<sup>6)</sup> Mar. Uict. I. 5. § 11 p. 30 G. 2471 P.

<sup>7)</sup> Maxim. Uict. de rat. metr. 2. § 1 p. 294 L. 1964 P.

in rerum tenuissimarum cognitione se totum collocare et sine mediocri litterarum scientia singula magis quaerere quam rationem ipsam. inde ineptis nimium quantum delectabatur auctor structuris et usque ad taedium repetitis uocibus quales sunt *quod dico exemplum est huiusmodi, si poeta uoluerit, quoties, quippe*<sup>1)</sup>. denique uideamus de codicibus. uerum si esset auctorem libri secundi et tertii disinngendum a primi libri auctore, tum intellegi non posset, cur potissimum liber tertius in libris Mss. a primis duobus separatus esset neque aut omnes coniunctim aut duo ultimi una reperirentur. nam omnium codicum quotquot nobis noti sunt una pars solum tertium, altera pars duos priores libros continet. at horum codicum, quia satis uetusti sunt, auctoritas non est contemnenda. nam H. Keilii codex Reginensis<sup>2)</sup>, qui artem grammaticam et librum de carmine heroico continet, seculo decimo, codex Bobiensis Lindemanni, quo usus is tertium librum edidit, seculo octauo uel nono scriptus est<sup>3)</sup>. —

His igitur explicatis uix est credibile omnia tria opuscula a Uictorino composita esse. restat ut quae nobis sint uisa de eorum auctoribus proponamus, quae quanquam nosmet ipsos non fugit non nihil habitura dubitationis, tamen iis meliora ut proferamus, nobis haud quaquam contigisse liquido affirmare possumus, ac primum quidem quo codices nos ducunt paulo longius progrediendum est. qui cum omnes priores duos libros sine ullo transitu contineant, uidendum erit num eorum ratio atque conditio ea sit, ut duos auctores aut unum tantum prodat. si inter opera tam exigui ambitus, qualis est illis libris *de re grammatica* et *carmine heroico*, magnam et materiae et dicendi animaduerti licet similitudinem, res quae antea maxime dubia erat fit minus dubia. est enim in utroque libro idem auctoris ingenium, quod omni artis

<sup>1)</sup> cf. paulo infra. p. 58 ann. 1. p. 61 ann. 1.

<sup>2)</sup> cf. Anall. gr. p. 24. cod. Regn. 1587 membr. saec. X. fol. 5—16 incipit ars Uicturini. *Ars quid est rei cuiuscunque scientia — exequemur.*

<sup>3)</sup> Praeterea extant in italicis bibliothecis teste Keilio codd. librum tertium exhibentes hi: Uatic. 1491. saec. XV. fol. 35. *Maximus Uictorinus* (Keil p. 15) cod. Urbin. 452. saec. XV. fol. 150. *Maximinus Uictorinus de ratione metrorum* (K. p. 27) Urb. 1157. membr. saec. XV. fol. 55. *Commentarium Maximi Uictorini* (K. l. c.). — Ambr. 478. saec. XV. fol. 42. *commentarium Maximini Uictorini de ratione metrorum* fol. 47. *uictorinus finit* (K. p. 29).

forma sprete animis legentium uictum tenuissimum affert. libri enim grammatici auctor, quodcumque tractandum aumsit in eo ita uersatur, ut nihil praeter res necessarias et tritissimas in medio ponat. itaque postquam breuiter exposuit quae necessario uiam munire solent ad artem grammaticam, quid esset grammatica, quae eius officia, quid uox littera syllaba, ad octo orationis partes transit, quarum singularum uim ac naturam paucis interpretatus totus est in enumerandis locis et exemplis. neque alia est libri secundi ratio. ibi enim metro definito pedibusque enumeratis (qui ne uerbo quidem in priori libro commemorati sunt) auctor in dactylico metro insistit, cuius XXXII genera deinceps exemplis e Uergilio petitis ostendit. ut idem ingenium, ita eadem ratio dicendi in utroque libro est. id quod comprobari potest non nullis uocabulis, quibus iusto saepius auctor usus est ueluti *quippe quoties*<sup>1)</sup>. At dicit quispiam cum Osanno illos duos libros magno temporis spatio interiecto confectos esse. nam quia magna cum Diomedis libris similitudo intercedit et quia modus concessius teste Seruio nulli grammatico praeter Probum cognitus in priori libro commemoratur, huius auctor cuiuspiam uideri fortasse possit quinto post Chr. n. seculo uixisse, alter autem medio quarto p. Chr. n. seculo ortus esse, quo tempore Lactantius uixit, quem sibi aequalem fuisse auctor disertis uerbis praedicat<sup>2)</sup>. Haec quanquam primo aspectu uehementer inter se discrepare uidentur, tamen modo ratio consideretur quae sit inter Diomedem auctoremque Artis, fortasse poterunt conciliari. nam collatione illorum duorum grammaticorum facta illum mirum ab Osanno detectum consensum apparet non tantum esse, ut non discrepantias quasdam admittat neque cum totam per Artem grammaticam animaduerti. uelut — ut hoc paucis exemplis confirmem — quae uterque tradit unde sit grammaticae initium faciendum, utrum a definitione an ab oratione<sup>3)</sup> et e quibus modis latinitas constare debeat, cuius tres agnoscit Artis scriptor<sup>4)</sup>, quattuor autem Uarrone

<sup>1)</sup> *quippe* Ars gr. 277 L. 1944—5 P. (ter); de carm. her. p. 288 L. 1957—8 P. (bis); *ibid.* 289 L. 1959 P. (bis); *ibid.* 290 L. 1960—1 P. (bis). *quoties* Ars gr. 277 L. 1944—5 P. (ter); 280 L. 1948 P., p. 281 L. 1949—1950 P. (ter); p. 284 L. 1953 P. (bis) de carm. heroico. p. 289 L. 1959 P.

<sup>2)</sup> de carm. her. p. 288 L. 1957 P.

<sup>3)</sup> Max. Uict. Ars gr. § 2. p. 271 L. 1937 P. Diom. L p. 274 P.

<sup>4)</sup> Max. Uict. Ars gr. § 6. p. 272 L. 1938 P.

duce Diomedes<sup>1)</sup>, ea luculenter ostendunt non omni ex parte Osanni sententiam esse probandam. neque ut iam dixi per totum librum aequaliter Diomedem esse adhibitum cernere licet, cuius uestigia, quo longius in legendo progredimur, eo rariora deprehendimus, ut extrema Artis pars potius e Donato quam e Diomede conflata esse uideatur. hoc inde factum puto, quod magnam partem eodem fonte atque Diomedes usus est Artis auctor, sed hoc tantum interposito discrimine, ut ille praeter hunc fontem alios quoque adiret, et alter in uno illo persisteret. hunc fontem fuisse *Comminianum* grammaticum, de cuius aetate nihil fere certi constat, nisi eum ante Seruium uixisse (nam qui eum Donato minorem putauerunt eos errare docuit H. Keilius)<sup>2)</sup> non nolim affirmare. certum enim est quaecunque *Comminiani* nomine a Charisio traduntur, ea mirum in modum Artis uerbis respondere, ut nulla fere possit dubitatio relinqui, quin haec Ars tota ad *Comminianum* sit reuocanda<sup>3)</sup>. quin etiam id uterque commune habet, quod pronominis nusquam mentio iniecta est<sup>4)</sup>. —

Neque multum tribuendum est alteri illi argumento ab Osanno proposito. putat enim ille ex eo, quod inter modos modum concessiuum, qui Seruio teste apud Probum quidem, sed in nulla Arte inuenitur, auctor rettulit, apparere illum quinto demum saeculo uixisse. sed uix quicquam subest huic opinioni, quod coniecturae nostrae obstet. hunc autem Probum caueas ne eundem putes qui Artem (quam uolgo dicunt *minorem*) scripserit uel cuius nomine institutionum grammaticarum uolumina duo feruntur, in cuius libris nihil legitur, ad quod possit referri illa Seruii observatio, sed est potius de Ualerio Probo Berytio cogitandum, e cuius grammaticis scriptis Diomedes et Priscianus non nullos affcrunt locos<sup>5)</sup>. deinde id quoque contra Osannum afferendum est, quod

<sup>1)</sup> Diom. II. p. 434 P.

<sup>2)</sup> Keil praef. gramm. lat. uol. I. pp. XLVIII. et LVI.

<sup>3)</sup> Quae coniunctio inter *Comminianum* et Artis scriptorem intercedat locis apparebit collatis hisce. *de aduerbio* Char. p. 160 P. Ars gr. p. 281 L. 1950 P. — *de coniunctione* Char. 198—9 P. Ars gr. p. 282 L. 1951—2 P. — *de praepositione* Char. p. 204 P. Ars gr. 283 L. 1953 P. — *de interiectione* Char. p. 212 P. Ars gr. p. 285 L. 1954 P. — *de oblatiuo casu* Char. p. 120 P. Ars gr. p. 273 L. 1940 P. — *de coniugationibus (et de participio)* Char. p. 154—6 P. Ars gr. 279—81 L. 1947—50 P.

<sup>4)</sup> Keil praef. p. XLVIII.

<sup>5)</sup> Keil praef. pp. LII. LIII.

Serui uerba si proprie acciperentur, sequeretur Artis scriptorem in ultimo grammaticorum loco ponendum esse, quorum nullus modum concessiuum nouerit. — Uix magis anceps est Donati mentio Arti grammaticae inserta <sup>1)</sup>, quam miror Osanno non fuisse offensionem. nam Donati aetas paene in ea tempora incidit, quibus libros duos Uictorino adhuc adscriptos ueri simile est ortos esse, ut eorum auctor aetate illi suppar sit censendus. haec autem ne cui probabilia uideantur, accuratius inspiciat quo loco apud Artis grammaticae auctorem illa uerba sint posita et quo ea referenda sint. nam quid sibi uelint uerba *sed illa quoniam Donatus exposuit ideo dimisimus* difficile est intellectu, cum de uerbis defectiuis, ad quae possint reuocari, apud Donatum nihil fere legatur <sup>2)</sup>, ut suspicio oriatur ea potius ad sequentia pertinere, ubi de participio disseritur, cuius definitio plane ommissa est, quam librarius, cum eandem atque Donati esse intellexeret, omittendam putauit <sup>3)</sup>. nam ex eius ingenio, qui Artem scripsit, ista uerba non profecta esse cognoscet qui perspexerit totam ferme de octo orationis partibus disputationem, quam Artis auctor instituit, magnopere cum Donato concordare, ita ut illa uerba potius additamenta librarii segnibus eiusdam quam auctoris ipsius sint habenda.

Haec quae modo dixi uelim sufficiant, ut credatur nihil obesse quominus duos priores libellos de arte grammatica et de carmine heroico scriptos et eodem tempore ortos et ab eodem scriptore profectos esse dicamus. quem longe seiungendum esse ab eo, qui tertium librum *de ratione metrorum* composuit, ad quem nunc disputatio nostra deflectit, uno quidem, sed ut mihi uidetur ualidissimo argumento ostendam. ex ratione enim et interna conditione huius libri, quae in uniuersum non magnopere a reliquis illis duobus abhorret eandemque atque hi leiuinitatis sterilitatisque speciem prae se fert, non multum elici licet, quod sententiae nostrae faueat, sed eo magis suffragantur ei non nullae mirae locutiones et uoces, quas apertum est auctorem in deliciis habuisse, ueluti *si poeta uoluerit, quod dico exemplum est huiusmodi, quicquid,*

<sup>1)</sup> Ars gr. 280 l. 1949 P.

<sup>2)</sup> cf. Lindem. ann. 21. ad. h. l. ,in iis quae hodie Donati extant, nihil fere legitur nisi forte intellegitur locns. II. 12. § 3. (uel potius § 5.)

<sup>3)</sup> Haec suspicio egregie quem ad modum puto codicis Gothani scriptura confirmatur in quo leguntur haec: *Item pellgo et pulleo faciunt et de participio quomodo Donatus exposuit ideo dimisimus.*

*wides* (uel *wide*)<sup>1)</sup>, quae cum longe diuersae sint ab iis, quas priorum librorum auctorem adamasse uidimus, facere non possumus quin ab alio artigrapho censeamus profectum esse librum tertium. de cuius argumento si quis accuratius edoceri uelit, Osannum inspiciat, qui copiose id exposuit et non nulla disputauit qua conditione liber iste aetatem tulerit, sed in eo non possum assentiri uiro doctissimo, quod quae libro exeunte auctor de rhetoricis studiis attulit, iis plane et aperte Marium Uictorinum putauit indicari, cum grammatici haud pauci solerent, priusquam finem operi imponerent, quod ut ad usum quam maxime utile redderent, non nulla ad artem oratoriam pertinentia adicere. id quod Sacerdos Diomedes et quantum ex indice perspicitur Charisius diligentissime obseruauere.

Sed haec haecenus. quae quamquam certa fortasse non sunt habenda, tamen certiora uidentur quam quae certissima afferre sibi uisus est Osannus. nunc uero ad id uenimus, ut de nomine uideamus. in quo si codices sequeremur Uictorinos ferremus tres: in his accensus ille Marius rhetor, cuius nomina satis constant, in fronte enim eorum codicum, qui priores duos libros continent, nudum Uictorini cognomen, in eorum fronte, qui tertium librum exhibent, nomine addito inscriptum est nomen Maximi Uictorini. quare Osannus coniecit fuisse rhetori nomen hoc: *Caius Marius Maximinus Uictorinus*. nobis autem qui ad illius uiri sententiam probandam adduci non poteramus et ad longe alium exitum produximus hanc quaestionem uidendum est ipsis, nisi tres fuisse Uictorinos uolumus suspicari, (id quod haud facile cuiquam in mentem ueniat), quomodo ex his angustiis enatemus. quod uix possit fieri, nisi ad id unum possimus confugere, ut eodem fere modo atque supra in disputatione de Claudio Sacerdote habita indicauius grammaticum quendam ignobilem probabiliter Probi nomen sibi arripuisse, hic esse legitimorum auctorum nominibus summotis nomen Uictorini suppositum putemus: qui fuerint *Scaurus* et *Palladius* uocati, quae nomina codex uetustissimus

<sup>1)</sup> *si ita poeta uoluerit* p. 293 L. 1963 P. p. 294 L. 1964 P. (bis); p. 295 L. 1965 P.; p. 298 L. 1968 P. (bis); — *quod dico exemplum est huiusmodi* p. 293 L. 1963 P.; 294 L. 1964 P.; p. 295 L. 1965 P.; p. 300 L. 1470 P. — *quicquid sexcenties reperitur*. — *wides* p. 295 L. 1965 P. (bis); 296 L. 1966 P. (bis); 297 L. 1967 P., p. 298 L. 1968 P.

Bernensis prae se fert, quo librorum illorum argumenta erotematische exposita sunt, definiri nequit<sup>1)</sup>. uix est de Terentio Scauro

<sup>1)</sup> cf. *Streuber* de inscriptionibus etc. p. 48. *Siuner* Catal. I. p. 621: Codex Nr. 336. saec. VIII. membr. 4<sup>to</sup>. *Marii Victorini de grammatica et metris liber*. Idem fere opus quod Putschius edidit inter grammaticos p. 1938. Titulus tamen nostri codicis alium auctorem praefert, nempe sic habet: *Incipit Andaniae de Scauri et Paladii libri excerpta per interrogationem et responsionem*. Auctior tamen est nostro nec ubique eundem cum edito ordinem seruat. post illa enim capita de latinitate de uoce noster subiungit ista de oratione de distinctione de litteris de syllabis. hoc de syllabis caput sic desinit in Putschii editionem (p. 1946) *Aut eum desinit correpta uocalis in consonantem, in qua pars orationis finitur, aut cum correpta uocalis ipsa per se partem orationis impleuerit*. loquitur de casibus, quibus longa fit positione syllaba, haec uero noster addit: *aut cum correpta uocalis in medio uersu sola seu consonanti adiuueta syllabam facit quae partem orationis impleat ut est — O uirgo noua mi facies — et — ipse ubi tempus erit omnes in fonte lababo — et — direpta domus et parui casus tuli —*. Aut *correpta uocalis excipitur a littera quam necesse est ut consequatur littera U quae cum altero uocali iuncta loco consonantis accipitur ut apud Lucretium — Quae calidum faciunt aquae tractum atque uaporem —, aut concurrentibus inter se uocalibus duae syllabae in unum quasi per dyptongum contrahuntur, ut — cui non dictus Ilas, — (pro Hylas) et — Tityre pascente a flumine reice capellas. Hoc enim loco — cui — et — rei — ita efferuntur ueluti singulae syllabae sint, cum tamen duas esse constat, maximeque et alii uersibus ut in *Georgicis* — et cui turpe caput — et item — reice ne maculis infuscet uellera pullis — quae omnia in metris obseruanda sunt. Sequitur caput de accentibus. dein de metris quod editis auctoris est (cf. de carmine heroico p. 286 L. 1956 P.) haec enim in prima pagina habentur. *de metro. Interr. Metrum quid est? Resp. Rei cuiusque mensura. Interr. Metrum poeticum quid est? R. uersificandi disciplina certa syllabarum ac temporum ratione in pedibus obseruata. Int. Quid est rythmus? R. uerborum modulata compositio, non metrica ratione sed numero ad iudicium aurium examinata ut puta ueluti sunt carmina uolgarium poetarum. Int. Qui primus his obseruationibus in componendis carminibus usi sunt? R. Pohenomine (Pheomonoe; [cf. Fortun. 8. § 3 p. 339 G. 2690 P. quia hoc genere Pheomonoe Apollinis uates uaticinata est<sup>1)</sup>] dicitur Apollinis uates prima per insaniam ita locuta cuius Esiodus meminit. Uero in Argonautis Nymphas ezametrum fecisse sic scripsit: — te nunc ortigiae tenentem specula nymphae Orantes o phoebe et io liconam clamauerunt —. Multi autem uersum a Iano Apollinis antistite excogitatum putant, qui ex hyperboreis fuit. Huius originem uersus uolunt quidam in Delo iuuentum et hunc uersum delineum uocant, alii ab Omero unde possumus colligere uersum hunc magis esse naturalem. Ultima duo huius opusculi capita sunt de accentibus, quod argumentum iam supra tractatum auctor his longius persequitur et de barbarismo. Addita tandem pauca de nu-**

Hadriano aequali cogitandum et propter libri indolem multo posteriora tempora prodentem et propter res in eo tractatas, in quibus nulla illius grammatici uestigia deprehendere potui.

De *Mario Victorino* nihil habeo, quod dignum sit, quod hoc loco apponatur, cum et qua aetate uixerit (Sancti Augustini enim erat aequalis) et quid scripserit satis constet<sup>1)</sup>. liceat mihi tantummodo paucis monere totam eius Artem metricam, de qua quattuor libros scripsit, aliorum grammaticorum tum graecorum tum latinorum studiis niti. inter latinos qui fuerint a me in antecedentibus indicatum est.

### XIII. DIOMEDES ET CHARISIUS.

*Osann*, beitr. II. pp. 319—343.

*Keil*, grammatici latini. Lips. 1857 uol. I. Flauii Sosipatri Charisii artis grammaticae libri V. Diomedis artis grammaticae libri III. Ex Charisii arte grammatica excerpta. Praefatio.

*Schneidewin*, Flauii Sosipatri Charisii de uersu Saturnio commentariolus ex codice Neapolitano nunc primum editus. Gott. 1841.

*Keil*, Analecta grammatica Hal. 1848 p. 32 seqq.

Post curas Diomedis et Charisii superrime a Keilio impensas non opus uidetur nec quae inter utrumque intercedat ratio nec qui eorum sint fontes iterum exponere. in quo haud facile quicquam desideretur nisi quod editorem fugit non nihil doctrinae suae Diomedem e Caesio Basso petiisse, ad quem multo aptius quam ad Suetonium, quem rebus metricis operam dedisse nullum quod sciam extat testimonium, mihi uidentur esse referenda quae Uarronis nomine apposito de septenario et octonario uersu de trimetro heroico de Archilochio uersu apud Diomedem leguntur<sup>2)</sup>, id etiam magis credibile fit quod is semel in tertio libro<sup>3)</sup> paulo antequam Uarroniana affert Caesii Bassi mentionem facit. praeterea com-

---

meris et ex Augustino atque Isidoro in laude computi quae mutata sunt. — Quae haec de inuentione carminis heroici dicuntur diuersa sunt ab iis quae in Victorini de metris capite apud Putschium leguntur.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Lachm. praef. Ter. M. p. XII. Graefenhan, III. p. 91. Osann. p. 369. 373.

<sup>2)</sup> Diom. III. p. 514 P. 499. 500 G. 515 K. ibid. p. 517 P. 504 G. 518 K.

<sup>3)</sup> Diom. III. p. 513 K. P. 497 G. — cf. c. III. de Caesio Basso. <sup>4)</sup>

memorandum est priorem partem libri tertii ordine mire perturbato ad nos peruenisse. id quod a certo consilio, quo priores libri compositi sunt, prorsus alienum est. namque metra locis duobus longo spatio seiunctis<sup>1)</sup> exposita, disputationi de poetica institutae rhythmi metri pedum explicationes interiectae, ultima praefationis pars alio loco repetita est<sup>2)</sup>. haec omnia in sedes suas compellere conarer nisi uererer ne rei perexiguae et incertissimae operam dedisse uiderer. — Tempus quo uixerint Diomedes et Charisius frustra H. Keilius indagare studuit. certum id tantum effectum ante Rufinum eos uixisse qui in commentario de metris comicis eos aliquotiens commemorauit<sup>3)</sup>.

### XV. FL. MALLIUS THEODORUS.

Inter omnia metrica scripta nullus extat liber, — fortasse Atilii Fortunatiani Arte excepta, — quo minus admonemur scho-  
lasticarum atque, ut ita dicam, umbraticarum litterarum, quam eo, quem de metris ad Theodorum filium scripsit Mallius Theodorus, omni enim horrida molestaque doctrina remota simplicitas elegans orationis, quae non nunquam ad Ciceronianum dicendi genus prope accedit, hominem ostendit omni uita uictaque excultum atque expolitum, qui honesto ocio utitur, ut quibus ipse litteris maxime indulsisae uidetur, iisdem initiet filium. itaque si uelis quos fontes Mallius adhibuerit gradatim indagare, re infecta abeundum est. quos quamquam satis cognitos habuit, id tamen ostentare noluit. auctores quidem duos nominatim appellauit, Terentianum atque Iubam, sed tamen ita, ut uersus tantummodo ex iis repeteret sententiis de uno alteroue eorum loco non adiectis<sup>4)</sup>. qua re factum est, ut etiam in materia digerenda aliam uiam, quam qui antecedeabant sequeretur. qui cum metris, quae ex octo princi-

1) Diom. III. p. 470. 492 P. 423. 461 G. 474. 494 K.

2) Diom. III. p. 501—2 P. 477 G. 502 K.

3) Rufin. de metris com. § 2. p. 378 G. 2706 P. (Diomedes); § 4 p. 379 G. 2707—8 P. (Charisius). § 30 p. 387 G. 2713 P. (Charisius Diomedes.)

4) Mall. Theod. 6, 5; 10, 1 (Iuba); 5, 15; 6, 4 (Terentianus); eundem sine nomine affert 4, 20; 5, 14.

palibus nascuntur, singularem quendam locum concederent, Mallius totam in prototypis solis doctrinam suam ponebat, ad quae uaria poetarum metra referenda censebat<sup>1</sup>). quid igitur mirum eum disputationes de phalaecio hendecasyllabo de metro asclepiadeo alcaico sapphico pherecrateo glyconeo, cum animaduertet dactylum in iis locum habere, capiti de metro dactylico inseruisse? quanquam eodem iure de iis in capite de trochaico metro disserere poterat. Liber ipse ad hoc tempus duas recensiones expertus est easque per unum I. F. Heusingerum, qui anno 1756 Guelferbyti auctoritate codicis antiquissimi, qui ea in urbe asseruatur, nisus cum edidit. quem codicem cum e fonte iam corrupto fluxisse ideoque parum opis attulisse intellexeret, peropportune factum est, quod Ruhnkenius eum ad nouam huius grammatici editionem parandam incitaturus et obseruationes, quas in Mallium fecerat, et uarias scripturas e duobus Parisinis codicibus per Musgrauium excerptas cum eo communicaret. his adiumentis instructus decem annis post quam prior facta est recensio denuo edidit Lugduni Batauorum Mallium Theodorum Heusingerus. et hanc alteram editionem nullis nouis curis auctam Gaisfordius in collectione scriptorum metricorum litteris describendam curauit. Praeter hos codices, quos accurate nouimus, complures extant nondum in usum uocati. in hoc genus primus referendus est codex Bambergensis aetate reliquis par, quem Fr. Haasii benignitate oblatum olim accuratissime contuli nouam melioremque Mallii Theodori recensionem perfectum iri spe quadam ductus<sup>2</sup>). qua mox deiectus sum, cum codicem prorsus iisdem inquinatum uiderem uitis, quibus reliqui et praecipue Parisini deprauati sunt, quibuscum paene omni e parte consentit. deinde per Henricum Keilium in Anal. certiores facti sumus in italicis bibliothecis tres seruari codices Mallii

<sup>1</sup>) Mall. Th. 11, 14 ,de arte ergo metrica nihil desiderari a quoquam scias seruata a nobis docendi ratione respiciens, ut ea, quae alii, qui eadem de re scripserunt, confusa et permixta conlocauerint, nos octo tantum generibus, quibus exceptis nullum inueniri metrum possit comprehendemus' e. q. s.

<sup>2</sup>) Codicis Bambergensis (H. I. Nr. III. 15) naturam Fr. Haase uir clarissimus libri quem Gregorius Turonensis de cursibus ecclesiasticis scripsit editione Urat. 1853 p. 5 diligentissime descripsit.

Theodori librum continentes<sup>1)</sup>. Iam uero Geuartii<sup>2)</sup> et Santenii<sup>3)</sup> codices afferendi sunt, qui quo delati sint nescio. Denique mentio facienda est Bedae Uenerabilis, qui in libro de metrica ratione scripto Mallii magnam partem ad uerbum expressam descripsit. cui adiungam paraphrasin Bernensem<sup>4)</sup> saepe a Santenio laudatam. cuius quanta sit utilitas apparebit e paucis a Sinnero adscriptis uerbis<sup>5)</sup>. habet autem illa paraphrasis id proprium, ut quod Mallius continua oratione strictius docet, idem in diuerbio inter magistrum et discipulum habito tractetur. —

Haec de codicibus, a quibus, cum per eorum uetustatem iam non sit sperandum fore ut qui sint et aetate et bonitate priores possint reperiri, futuro Mallii editori minus auxilii sit petendum quam a suo ipsius ingenio, cui exercendo longe patens spatium datum est. uerba enim scriptoris quanquam sollerti Heusingeri cura multi iam nodi expediti sunt, alteram etiam nunc manum eamque feliciorem expectant, qua a corruptelarum sordibus prorsus purgentur. eidem id quoque erit quaerendum unde Mallius exempla sumserit, quorum permagna pars nescimus quo sit referenda. mihi quidem tantummodo contigit, ut trium uersuum auctorem, qui Heusingero non notus erat, reperirem. uersus enim<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Anal. gr. p. 15 *Uatic*. Nr. 1491 chart. sec. XV. fol. 28—30 *malli theodori ars*. p. 22. *Regin*. 251 membr. 8 sec. fol. 84—95. — p. 28. *Urb*. 1157 membr. fol. sec. XV. *Malli Theodori de metris incipit feliciter*.

<sup>2)</sup> *Rubonii* diss. de uita Mall. Theod. p. 106. „reliquit Theodorus filium sibi cognominem Theodorum, ad quem scripsit librum de metris, qui manuscriptus extat apud Cl. D. Genartium. eius initium hic libet apponere: *„dubitare neminem arbitror, Theodore fili, quod in oratione metrica suauitatis causa reperta sit ut ea quae excellentibus sententiis ac uerbis dicerebantur carminis etiam certa modulatio dulciora auribus redderet.“*

<sup>3)</sup> Santenius comment. in Ter. M. u. 1723.

<sup>4)</sup> Sinnerus Catal. bibl. Bern. I. p. 430.

<sup>5)</sup> Qualis similitudo inter Mallii librum et paraphrasin intercedat ut appareat, uerba adscribam, quae apud Sinnerum l. c. inueni et quibuscum quarti capitis initium uelim conferatur. „D. metrum dactylicum exametrum a quo inuentum est prius? M. Ab Orfeo Critias asserit. D. Quomodo? M. Dicit Critias quia Orfeus hoc inuenisset, Democritus a Museo. D. Quomodo? M. Dicit Democritus quia Museus illud inuenisset. D. Quare? M. Eo quod deorum facta carmine suo explicare uellet, metri huius, quod longe pulcrius celsiusque est aut repertor aut certe adprobator fuit?

<sup>6)</sup> Mall. Theod. 9, 3.

*rapit tela uolans ecce gerens arma Troius heros* auctor est Mallius ipse habendus, qui haud dubie Uergilii duos locos ante oculos habuit, ubi eadem fere uerba leguntur *raptoque telo uolat* et *Troius heros*<sup>1)</sup>. uerba, quae supersunt, nescio an ad alium Aeneidos locum referenda sint, ubi haec uerba posita inuenies: *gerit haec arma*<sup>2)</sup>. — Alterum uersum<sup>3)</sup> *Tu genus hoc memento* Mallius e Terentiano<sup>4)</sup> petiit. Denique tertium<sup>5)</sup>, quem auctor apud Iubam se legisse affirmat *Qualis aquila cita celeribus auida pinnis transuolat* originem a Cratino trahere atque a Iuba latine redditum e fragmento metrico intelleximus, quod huius grammatici nomini addicendum esse supra coniecimus<sup>6)</sup>. —

Quod nemini grammaticorum, quos adhuc in disputationem adduximus euenit, ut inuenirent aliquem, qui in eorum uitae perquirendae atque enarrandae operam consumeret, id Mallio Theodoro Rubenii studiis curisque accidit, qui eius uitae enucleandae totum librum destinauit<sup>7)</sup>, ad quem qui accuratius de ea edoceri uelint breuiter delegamus. nos satis ducimus scire anno 399 cum consulatum gessisse, in cuius honorem Claudianus poeta panegyricum composuit. —

## XVI. MAURUS SERUIUS HONORATUS.

*Osnabr. beitr.* II. p. 377.

*Græfenhan gesch. der klass. philol.* III. p. 93. 139. 325.

E multis a Græfenhanio commemoratis Seruii libris huc pertinent duo: liber *Centimeter* et *ad Aquilinum de ratione ultimarum syllabarum*. *Centimeter* breuis est centum apud poetas maxime usitatorum metrorum enumeratio neque neglecta est ratio octo pro-

<sup>1)</sup> Uerg. Aen. VIII, 111, 530.

<sup>2)</sup> *ibid.* V, 412.

<sup>3)</sup> Mall. Theod. 4, 17.

<sup>4)</sup> Terent. M. n. 2537.

<sup>5)</sup> Mall. Theod. 6, 5.

<sup>6)</sup> Anall. gr. p. 518.

<sup>7)</sup> Albi Petri Pauli F. Rubenii dissertatio de uita Fl. Mallii Theodori U. C. quaestoris Sacri palatii, Comit. S. L. praefecto praetorio Galliarum, praefecti praetorio Italiae, Africae, Illyricae U. consularis ordinarii, in qua non tantum Theodori sed et Ausonii dignitates ac illorum temporum historia illustratur. Ultraieci 1697.

totyporum metrorum. quae ex his solis deriuari non poterant proprium acceperunt locum in ultimo capite, quod de diuersis metrorum generibus inscribitur. in materiae tenuitate pauca de hoc libello dicenda sunt. pleraeque definitiones ordoque quo metrae excipiunt quorum plurima in graecorum tantum poetarum usu erant, Hephaestione fortasse Seruio usum esse mihi uidentur indicare. alterum uero librum cui est argumentum prosodiacum partem esse operis, cuius altera pars contineatur *Arte de finalibus*, quam Endlicherus <sup>1)</sup> Maximi Victorini nomine inuitis codicibus Parrhasii auctoritatem secutus edidit, Osannus non satis idoneis argumentis demonstrare conatur. nam cum intellegi haud facile possit quibus rebus motus scriptor aliquis, nisi cur id fecerit ipsius uerba nos docent, duos libros de eadem re ediderit, eorum auctores separare tutius erit quam eos uni eidemque auctori assignare. cum praeterea ratio prioris partis prorsus diuersa sit, quam et Osannus obseruauit, unum librum Seruio, alterum alii cuidam grammatico adscribendum esse censeo. qui siue Maximinus appellatus est — id enim solum nomen codicum auctoritate nititur — siue aliud nomen habuit, nullo modo ab Endlichero nominari debebat *Maximus Victorinus*. —

Seruio exeunte seculo p Ch. n. quarto uixisse intellegatur e locis a Graefenhanio allatis.

## XVII. RUFINUS ET PRISCIANUS.

*Osann* Beitr. II. p. 307. 147 seqq.

*O. Iahn* berichte der saechs. gesellschaft der wissenschaften. phil.-hist. classe 1851 p. 359.

*M. Hertz* Priscianus praef. p. VII.

Quae hodie Rufini supersunt duo capita de metris comicis et de metris oratorum id habent commune ut in iis minus scriptoris quam aliorum grammaticorum sententiae propositae sint. quae cum maximam partem aliunde notae non sint, patet magni faciendum esse librum, cui Sisennae Uarronis Bassi Scauri Iubae debemus non contemnendas reliquias. atque cum tot diuersissimorum temporum auctores a Rufino afferrantur, summo iure Osannus iis ad eius aetatem definiendam uti eamque, cum Seruio nullus testis minor

<sup>1)</sup> Anall. gr. p. 453—469.

inueniretur et cum Prisciani nulla mentio fieret, in id tempus cecidisse poterat statuere, quod inter utrumque intercederet. e quo apparet, si Osanni sententia accipienda esset Priscianum medio quinto seculo floruisse, eiusdem seculi priori parte uixisse Rufinum; sed cum per Iahnium et Hertziium de Prisciani actate aliter nos cogitare edocti simus, quem Iustiniani aequalem fuisse contenderunt, de Rufino idem statuendum eique totum quintum seculum erit assignandum, quo possit uixisse. — Si quaeris quae causa fuerit Prisciano cur librum scripserit, quo Terentii aliorumque comicorum metra exposuit, ipse rationem reddit uerbis his: „miror quosdam uel abnegare esse in Terentii comocidiis metra uel ea quasi arcana quaedam et ab omnibus doctis semota sibi solis esse cognita affirmare quorum ut uel imperitiae uel arrogantiae uitium effugiamus breuiter de supradictorum metris auctorum exponamus testimoniis etiam metricorum usuumque approbationibus utentes<sup>1)</sup>. itaque ut doceat qui sit usus iambici uersus apud comicos latinos eosque multo licentius quam Graecos in locis paribus dactylum et spondeum admittere, Terentianum Asmonium Iubam inter testes prodire iubet.

### XVIII. ALDHELMUS.

Nomine Aldhelmi episcopi anglici († 709) primus A. Maius librum, qui de re grammatica et metrica inscribitur, edidit<sup>2)</sup>. in quo quae continentur ad quem referam neminem habeo praeter auctorem, qui de carmine heroico scripsit, unde omnem suam de dactylico hexametro doctrinam auctorem petiisse certum est<sup>3)</sup>. fortasse ad eundem auctorem quae sequuntur disputationes de uitiis hexametri, quae *πάθη* ibi appellantur, et de caesuris sunt reuocandae. extrema autem pars, ubi XXVIII pedes recensentur et exemplis copiosissimis illustrantur, ex auctoris ipsius ingenio orta esse uidetur. quos scriptores antiquos et christianos Aldhelmus perlegerit index ab Ang. Maio diligentissime confectus docet.

<sup>1)</sup> Prisc. de metr. com. p. 411 G. 1319 P.

<sup>2)</sup> Ang. Maius *Classic. auctor. e uatic. codd. edit. tom. V. p. 501—599* cf. Osann. II. p. 157. 173.

<sup>3)</sup> Aldh. pp. 522—532 et Max. Uict. de carm. her.

## XVIII. BEDA VENERABILIS.

Quod consilium Bedae fuerit, cum librum ad Guthbertum *de re metrica* scriberet, e uerbis eius extremis patet<sup>1)</sup>: „haec tibi diligenter ex antiquorum opusculis scriptorum excerpere curavi et quae sparsim scripta ipse diurno labore collegeram tibi collecta obtuli, ut quemadmodum te in diuinis litteris statutisque ecclesiasticis imbuere studui, ita et in metrica arte, quae diuinis non est cognita libris, te solerter instruerem.“ qua re non est mirandum, si auctor nullas e suo ingenio profert sententias, sed satis ducit grammaticorum doctrinas unam post alteram recensere. quem in priori libri parte, quae cum in quantitate ultimarum syllabarum per octo orationis partes demonstranda uersetur prosodiaca appellari potest, praeter Donatum Sergium Pompeium, quos ipse commemorat<sup>2)</sup>, ob oculos habuisse Seruii de ratione ultimarum syllabarum librum manifestum est e tractatu de aduerbio<sup>3)</sup>. de metris autem quod statuit e Mallio Theodoro, cuius nomen semel ipse affert<sup>4)</sup>, haustum esse e comparatis inter se grammaticis apparebit<sup>5)</sup>; sed hoc interest inter eos, quod quae poetarum latinorum exempla proposuit Mallius ea radicitus sustulit Beda exemplisque e christianis poetis petitis permutauit<sup>6)</sup>. denique addendum est quae Beda libro exeunte de rhythmo<sup>7)</sup> et de tribus poematum generibus<sup>8)</sup> tradidit ex auctore, qui nobis incertus uisus est de carmine heroico<sup>9)</sup>, et e Diomede<sup>10)</sup> et Isidori originibus<sup>11)</sup> deprompta esse. — Aetatem Bedae constat fuisse inde ab anno 672 usque ad annum 732<sup>12)</sup>. —

1) Beda p. 2382 P.

2) id. p. 2350 P.

3) id. p. 2362 P. Seru. p. 1815 P. § 4 p. 498 Endl.

4) id. p. 2379 P.

5) id. p. 2364. 2366. 2376—79 P. Mall. Th. c. 4—5.

6) id. p. 2380 P. „quae quia pagana erant nos tangere non libuit.“

7) id. p. 2380 P.

8) id. p. 2381 P.

9) Max. Uict. de carm. her. P. 286 L. 1955 P.

10) Diom. III. 6, 440 G. 480 P.

11) Isid. Orig. p. 852.

12) Bernhardy, roem. lit. gesch. ed. alt. p. 311.

## XX. SANCTUS BONIFACIUS.

Iam in editione Mallii Theodori ab Heusingero parata<sup>1)</sup> fragmentum quoddam adespotum legitur ad codices Guelferbytanum et Parisinum accurate expressum, in quo de caesuris uersuum et de metro disseritur. cuius fragmenti quis auctor sit habendus quod scimus H. Keilio debemus, qui in codice aliquo uetusto Palatino idem fragmentum repperit nomine Bonifacii adscripto<sup>2)</sup>. de pretio huius opusculi ne quid dicereinus Heusingeri opera atque industria effectum est, qui docuit maximam fragmenti partem ad Isidori Originum libros et Seruii Centimetrum accommodatam esse. Bonifacius mortuus est anno 755 Fuldae.

---

<sup>1)</sup> Scriptores rei metricae latini. Ed. Gaisford p. 577-585.

<sup>2)</sup> Keil Anal. gr. p. 21. membr. 4 min. sec. X. fol. 114: „incipiunt caesure uersuum *sancti bonifacii*.”

## Theses.

---

- I. Omnes Romanorum litteras ad rhetoricam, Graecorum uero ad epicam rationem inclinare contendo.
- II. Critica quam diplomaticam uocant omnis artis criticae fundamentum habendum est.
- III. Ars critica, dummodo recte exerceatur, magnam uim habet ad morcs emendandos.
- III. In Sen. de clem. I. 1. § 4 legendum esse conicio: ,quotiens nullam inueneram misericordiae causam, mihi peperit.'
- V. In Cic. Or. § 158 legi uelim ,AF praepositio est' etc. (cf. Freund lexic. I. p. LX.)
- VI. Pueros non prius quam anno duodecimo peracto gymnasiis tradendos esse censeo.
- VII. Dubitari potest fueritne poetarum magnorum in Germania prouentus. summos autem qui cogitatione fingi possint eam musicos procreasse certum mihi uidetur.
- VIII. Nullus est musicus in quo aetatis nostrae alexandrinae magis compareat indoles quam in Felice Mendelssohn-Bartholdy.

5830480

---

63.14

2



